Digitized by Google

N° 53
19.1832
11. 1. 153
11 G. 1
Digitized by Google

SYNODUS
DIOECESANA
FLORENTINA
ANNI MDCCXXXII.

Digitized by Google

DECRETA
SYNODI DIŒCESANÆ
FLORENTINÆ

CELEBRATÆ

IN ECCLESIA METROPOLITANA

DIE XXIV. SEPTEMBRIS MDCCXXXII.

EDITIO ALTERA

MULTIS EXCERPTIS LOCUPLETATA
EX RR. PONTIFICUM, CONCILIORUM GENERALIUM
ET ANTEACTARUM SYNODORUM FLORENTINARUM
ILLIUS PRAESERTIM ANNI MDCCX SANCTIONIBUS
NEC NON RECENTIORIBUS
FLORENTINORUM ANTISTITUM
DECRETIS ADAUCTA.



FLORENTIÆ
IN ARCHIEPISCOPALI TYPOGRAPHIA
AD CRUCEM RUBRAM
AN. MDCCCXXX.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. D. D.

FERDINANDO MINUCCI

ARCHIEPISCOPO FLORENTINO

PRAELATO DOMESTICO ET PONTIFICIO SOLIO ASSISTENTI

NEC NON S. R. IMPERII PRINCIPI.

Nihil ego unquam vehementius optavi, Praeclarissime Praesul, quam ut cultus, observantiae et grati animi erga Te mei aliquod promerem pignus et quoquo modo ad remotissimam etiam posteritatem transmitterem. Sentiebam enim quantum tenuitati meae decoris accedat eo quia tui typographi titulo gaudeam, quantumque praelo typisque meis per tuas ad Clerum Gregemque tuum scitissimas allocutiones additum sit et in dies addatur honoris, meque tanti beneficii diutius immemorem videri aegre ferebam. Quando itaque et ad me perlatus est rumor, Parochorum et Clericorum fere omnium hujusce Urbis et Diœceseos in votis esse

Digitized by Google

ut rursus duae ultimae Florentinae Synodi Dioecesanae cuderentur, meae in Te devotionis publice testandae occasionem se se mihi obtuliste ratus, Te fidens adivi, dictas Synodos meis typis vulgandi mentem aperui, opusque meum tuo patrocinio communire tuoque Nomine ornare humillime postulavi.

Tu, qui pro tuo munere Synodos coactas olim et absolutas strenue tueris earumque decreta, illa praesertim his codicibus comprehensa, Tutor et Auspex sarta tecta conservas, me obscurum hominem sed opus Tibi acceptissimum molientem, incredibili amplexus es bonitate et quidquid ad rem petieram perhumaniter concessisti. Tecum vero reputans quomodo Cleri tui desiderio simul et commodo posset satisfieri, Synodum tantum Martellianam, opportunioribus tamen excerptis tum ex RR. Pontificum Constitutionibus, tum ex Conciliorum Generalium canonibus, tum ex anteactarum Florentinarum Synodorum, illius praecipue anni 1710 sanctionibus, additis insuper tuorum Praedecessorum decretis, quae nondum obsolevere, tuisque hactenus promulgatis locupletatam, in vulgus edi proposuisti. Sapientissimo consilio tuo lubens

Digitized by Google

acquievi, operi alacer manus admovi et feliciter, favente Numine, perfeci.

Excipe ergo benignus Synodum istam, quae tandem ex meis typis prodit, eam etenim ego Tibi sisto, ad quem jure venit.

Vale, optime Praesul, cum Tibi, tum mihi, tum cuncto populo tuo, cujus amor es et felicitas.

LEOPOLDUS ALLEGRINUS *Typographus.*

JOSEPH MARIA
MARTELLI

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

ARCHIEPISCOPUS FLORENTINUS

PONTIFICII SOLII ASSISTENS

NEC NON

SACRI ROMANI IMPERII PRINCEPS.

VENERABILIBUS FRATRIBUS, CANONICIS
ET CAPITULO ECCLESIAE METROPOLITANAE, AC DIOECESIS NOSTRAE
PAROCHIS, CETERISQUE CLERICIS SALUTEM.

Nemo lucernam accendit (quemadmodum Christus, qui Pastorum est omnium Princeps (*a*), palam in Evangelio (*b*) testatus est) Nemo lucernam accendit, Venerabiles Fratres, Filii carissimi, atque in abscondito ponit; sed supra candelabrum, ut omnibus latè pateat. Et Nos certè, pro Pastorali munere, non defuimus paulò ante lucernam accendere, quum implorata priùs a Patre luminum ope, in frequentissima Synodo nuper habita, legem tulimus. In sacris enim Literis quis ignorat Lucernae vocabulo aptissimè designari mandata Legis (*c*)? Immo verò quot decreta condidimus in iis Dioecesanis comitiis, tot veluti faces paravimus, satis accommodatas

(*a*) 1. Petr. 5. 4.
(*b*) Matth. 5. 15. Luc. 11. 33.
(*c*) Psalm. 118. 105. Isaiae 2. 5.

ad dirigendos pedes Ovium, quas curae Nostrae pascendas, pro immensa sua Bonitate tradidit Deus, in viam pacis (*a*).

Et sicut Evangelicus ille paterfamilias de thesauro suo perhibetur nova et vetera protulisse (*b*): sic ea Synodalia decreta e promptuario Divinae Sapientiae, quae dat omnibus affluenter (*c*) a Nobis eruta, hujusmodi sunt, ut nova et vetera dici meritò queant. Vetera planè, quum ab altissimis fontibus Sacrorum Canonum, aliisque Sanctionibus pervetustis illustrium Ecclesiarum jam antea defluxerint; nova verò, quum concinnata sint paulò ante, habita temporum ratione, atque ad remedium comparata omnium corruptelarum, quae sensim irrepserant hac aetate. Ad eam profecto normam, quam proposuerat Thomas Bonaventura ex Comitibus Gherardeschae, potens in opere ac sermone (*d*) Archiepiscopus; cujus omnino vestigiis inhaerere, non modò tutum esse duximus, verùm etiam proficuum aliis, Nobisque gloriosum.

Sed ne longiùs, quam par est digrediamur, ea salutaris Lucerna dudum accensa in solemni totius Cleri convocatione, quodammodo videretur adhuc sub modio delitescere (*e*); nisi quaecumque in ea Synodo constita sunt, ut credimus, opportunè, aliquando ederentur in lucem. Reliquum erat nimirum, ut Synodalium tota series Constitutionum emissa, perinde quasi supra candelabrum exposita, per amplissimam Dioecesim latiùs appareret, et sicut lucerna fulgoris electissimum Gregem illuminaret (*f*) Nobis divinitus commendatum.

Ea de re confidentes in Domino Jesu futurum esse,

(*a*) Luc. 1. 79.
(*b*) Matth. 13. 52.
(*c*) Jacob. 1. 5.
(*d*) Luc. 24. 29.
(*e*) Marc. 4. 21. Luc. 11. 33.
(*f*) Luc. 11. 36.

Digitized by Google

ut qui coepit in Nobis opus bonum ipse perficiat (*a*); in unum omnia libellum, mole quidem exiguum, sed grano sinapis haud absimilem, decreta referimus, quae et peculiari diligentia priùs ventilata, et communi deinde consecrata sunt reverentia; vestrasque in manus publica luce donata (quod felix faustumque sit) libentissimè tradimus.

Quare agite, Venerabiles Fratres, Filii dilectissimi, gaudium meum atque corona mea (*b*) suscipite in mansuetudine insitum verbum (*c*) ac custodite volumen Legis hujus, et alacriter omnia facite, quae in eo scripta sunt (*d*); Vobiscum animo reputantes factores legis apud Deum justificari, non obliviosos auditores (*e*). Dum lucem habetis oculis obversantem, credite in lucem (*f*); et non modò abjicientes opera tenebrarum, ac nemini dantes ullam offensionem: sed etiam honestè ambulantes, sicut in die, satagite, ut Filii lucis sitis. Ex quo planè fiet, ut fructum in santificationem habeatis, finem verò vitam aeternam (*g*). Interea, dum paterno vos amore complectimur, Pax Christi, quae multa jampridem promissa est diligentibus legem Dei (*h*), cujus quidem lex Nostra est quasi pedissequa et administra, exultet quotidie magis in cordibus vestris (*i*); quemadmodum omnibus apprecamur ex animo.

(*a*) Philippens. 1. 6.
(*b*) Philipp. 4. 1.
(*c*) Jacob. 1. 21.
(*d*) Jos. 1. 8.
(*e*) Rom. 2. 13. Jacob. 1. 22. et 25.
(*f*) Joann. 12. 36.
(*g*) Rom. 6. 22.
(*h*) Ps. 118. 165.
(*i*) Coloss. 3. 15.

D. JOANNIS GEORGII
DE ALBERTIS
CANONICI FLORENTINI
ORATIO
HABITA AD SYNODUM.

Et locus hic ad dicendum amplissimùs, et splendor, ac dignitas hujus consessus, et ingens populi frequentia, qua circumfundor, me admonent, quam arduam provinciam susceperim, et quantis de rebus disserere aggrediar ego omnium, qui in hoc consilium convenerunt, infantissimus. Etenim cum vos (*a*) ministros Christi, dispensatoresque mysteriorum Dei, in hoc celeberrimum Templum, a praeclarissimo, praestantissimoque Pastore congregatos convenisse video, cum solemnes ad divinam opem implorandam, preces adhibitas animadverto, statim intelligo maximis de rebus esse deliberandum, et (*b*) universo Gregi, in quo vos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei prospiciendum esse, et consulendum, et vineam Domini exercituum, vineam electam, quam Christus ipse plantavit, et proprio sanguine irrigavit à noxiis herbis, et vepribus esse purgandam. Quam ob rem cum mihi, nescio quo fato, munus injunctum sit, ut oratione mea vos impellam, atque inflammem ad (*c*) bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus providenda, praeter quam quod rei magnitudo me terret, ac maxima difficultas, injuriosum, ac prorsus inutile esse arbitror, zelo vestro, tamquam ignem igni accenso, incitamenta admovere. Quemadmodum tamen velox equus, qui in stadio currit, licet stimulo minime indigeat, nihilominus festivo inspe-

(*a*) Paul. Ap. Ep. ad Cor. c. 4. v. 1.
(*b*) Actus Ap. c. 20. v. 28.
(*c*) Ap. Ep. ad Rom. c. 12. v. 17.

ctantium plausu, vulgarique clamore, magis, atque magis ad cursum accenditur, ita pariter, cum ego, veluti unus de populo Dei, hodierno die ad verba facienda, exurgam, absit, quod velim mea voce stimulos currentibus addere; solo enim plausu, nec meo tantum sed universo Christianae Reipublicae, vos jam de animarum cura maximopere sollicitos ad id, quàm prudentissimè, cum caritate, et sedulitate perficiendum eo facilius me incitaturum, plane confido. Laudanda siquidem est Pastoris in primis cura, solertia, ac diligentia, qua nihil, quod optimi regiminis est, praetermittens huc vos omnes accivit, ut (a) quod periit, requiratis, quod abjectum est reducatis, quod confractum est alligetis, quod infirmum est consolidetis, quod pingue, et forte custodiatis. Nec sine laudibus, maximaque commendatione, vestra etiam P. A. praetereunda est vigilantia, qua vosmetipsos, sicuti (b) Dei ministros exhibentes, huc convenistis, quemadmodum decet constitutos (c) super gentes, et regna, evellatis, destruatis, aedificetis, et plantetis. In animo itaque proposui hodierno die vobis ostendere, qua per facultatem meam in dicendo, quam sentio, quam sit exigua, potero diligentia, quantum praesto sit, quantamque utilitatem afferat ad Fidelium mores instaurandos, et ad meliorem frugem redigendos animarum gubernatores in Synodis simul convenire. Qua sane ratione, tum vobis jam in Synodo convocatis, plaudens, tum aditum demonstrans, quem ingressi, Christiano hujusce Ecclesiae gregi maximo emolumento esse possitis, non stimulum addam, ut languentes commoveam, sed ut hortator incitem sponte currentes.

Ea profecto est, Auditores, miserrimorum mortalium conditio, ut meliora, quamvis videant, laudentque, deteriora semper sequantur, et à virtute illecebris voluptatis facillime abstrahantur, quae omnium animis mira suavitate subrepit, et occulto quodam, et sensim illabente veneno, improvidas mentes occupat, et in omni sensu implicata, quasi Circaeis poculis delinitos homines in Brutas animantes transformat. Cum enim humanam naturam ob primi parentis mortiferum facinus plurimae infirmitates, et labitatesque maximae infecerint, cum, ob intimam, quae in unoquoque hominum est, pugnam, ac rebellionem (d) caro adversus spiritum concupiscat,

(a) Ezechiel. c. 34. v. 4.
(b) Ap. Ep. 2. ad Cor. c. 6. v. 4.
(c) Jerem. Proph. c. 1. v. 10.
(d) Ap. Ep. ad Galatas c. 5. v. 17.

cum teterrimis ignorantiae tenebris intellectus offundatur, cum demum cunctarum gentium cor sit excoecatum (*a*), illorumque aures aggravatae: eo sane fit, ut (*b*) quasi ex adipe prodeat hominum iniquitas, et caro tot, tantisque aerumnis obnoxia (*c*) viam suam tam facile corrumpat. Quocirca, cum illa praecepta, quae in singulorum ratione pollentium mentibus, a natura, prisca illa, aureaque tempestate insita erant, penitus evulsa fuissent, et quilibet more animalium sua lege viveret, corruptique (*d*) facti essent omnes, et abhominabiles in iniquitatibus; supremus, atque optimus rerum omnium Gubernator Moysi omnium primo, Leges lapideis tabulis insculptas tradidit, ut homines iterum dirigeret ad normam rationis, praescriptionemque naturae. At quis non videat, Auditores, fusisque lacrimis lugeat optime primum institutam collabi disciplinam, Divina praecepta conculcari, sanctissimasque leges, hominum pene infinita licentia violari? Siquidem tantum in nobis potest illicitae, atque inconcessae voluptatis ardor, ac desiderium, tamque proni ad vitium sumus, ut facillime legum vincula, quibus constringimur, disrumpamus, atque (*e*) in affectum cordis transeamus, et (*f*) Spiritui Sancto, gratiaeque Dei nos ad Legis obedientiam incitanti, resistamus. Quam ob rem tulit Deus de medio populi Sacerdotes, qui veluti (*g*) lux in Mundo inter caeteros emicantes, atque in (*h*) verbo, et doctrina laborantes (*i*) docentesque omnem hominem in omni sapientia (*k*) petentibus panem frangerent, per Divinarum legum enunciationem (*l*) filios iterum Ecclesiae parturirent, facilemque aditum ad mandatorum custodiam Fidelibus demonstrarent, et ab omni opinionum perversitate, morumque pravitate (*m*) opere, et sermone potentes Dominicum Gregem deterrerent. Cum enim (*n*) labia Sacerdotum scientiam custodiant, et Lex ex illorum ore sit requirenda, debent ii profecto (*o*) omnia omnibus facti divina praecepta singulis indicere, aperire, atque optimo consilio interpretari, maximamque adhibere curam,

(*a*) Isajas c. 6. v. 10.
(*b*) Psal. 72. v. 7.
(*c*) Genesis c. 6. v. 20.
(*d*) Psal. 13. v. 1.
(*e*) Psal. 72. v. 7.
(*f*) Actus Ap. c. 7. v. 51.
(*g*) Math. c. 5. v. 14.
(*h*) Ap. Ep. 1. ad Timoth. c. 3. v. 17.
(*i*) Ap. Ep. ad Coloss. c. 1. v. 28.
(*k*) Thren. Jerem. c. 4. v. 4.
(*l*) Ap. Ep. ad Galat. c. 4. v. 19.
(*m*) Luc. c. 24. v. 19.
(*n*) Malach. c. 2. v. 7.
(*o*) Ap. ad Rom. cap. 9. v. 19.

ac diligentiam, ne Fidelium mores ab illis avocentur, atque abducantur. Quae cum ita sint, neminem ex vobis esse arbitror P. A. qui non intelligat, quam necessarium sit, Animarum gubernatores simul convenire, atque in Ecclesia Dei Synodos convocari, ut quae hactenus à me breviter strictimque dicta sunt, commodius fieri possint, atque ita Pastores universo Gregi, qui illorum curae creditus est, accuratius consulant, et (*a*) probabiles Deo se exhibeant, recteque tractantes verbum veritatis. Minime autem velim vobis suadeatis Auditores, quod haec prudentissima, laudabilisque convocandorum animarum praesulum consuetudo, nostra aetate inventa, atque oborta sit: ab antiquissimis namque temporibus ad nos eam derivatam accepimus, illiusque maximum juvamen semper fuit optime perspectum. Quis enim ignorat Deum, statim ac Moysi scriptas Leges tradidit, illi insuper mandasse, ut (*b*) si quod difficile, atque ambiguum Judicium esset, ad Sacerdotes accederet, qui veritatem Judicii indicarent? Quis ignorat in Jerusalem quoque (*c*) constitutos esse Levitas, et Sacerdotes, et Patriarchas ex Israel, ut in timore Domini fideliter, et corde perfecto caussam Domini habitatoribus ejus judicarent? Quis demum ignorat nullo alio pacto ab Apostolis, illorumque sectatoribus Christianam Fidem doctrinamque a Christo Domino acceptam, ubique gentium fuisse propagatam, difficultatesque sublatas, erroresque proscriptos, nisi per Synodos, conciliaque? Atque haec P. A. pervetustae consuetudinis monumenta ideo a me exposita vobis, et enarrata fuerunt, ut omnes intelligatis Majores nostros ad instituendos juxta divina praecepta hominum mores, et ad illorum salutem curandam, maximam utilitatem ex Pastorum convocatione profectam semper agnovisse. Vestrum namque munus est, qui secundum gratiam, quae data est vobis (*d*) Dei adjutores, Dei aedificatio estis, Majorum, qui sanctitate, et consilio caeteris praestiterunt exempla respicere, atque imitari, ut ex iis colligere vobis liceat, quomodo in ministerio vestro Domus Domini, et salutis nostrae fundamenta jaciatis; quemadmodum a sapienti artifice fieri solet, qui singulis antiquitatum fragmentis, ab aetate pene corrosis, atque consumptis diligentissime coagmentatis, magnificam domum construere optimo

(*a*) Ap. Ep. 2. ad Timot. c. 2. v. 11.
(*b*) Deuter. c. 27. v. 8.
(*c*) Paralip. l. 2. c. 19. v. 8.
(*d*) Ap. Ep. 1. ad Cor. c. 3. v. 9.

Digitized by Google

consilio meditatur. Sed cur opus exemplis est in re tam nota? Quid enim rationis lumini, quod nobis divinitus inditum est, tam consonum, quid tam prudens, tam salutare omnibus, quam in maximis rebus agendis plurimorum consilium exquirere, in magni momenti negociis expediendis plurimorum sententiam audire? Natura siquidem ipsa edocemur, quod dissipantur (*a*) cogitationes ubi non est consilium, ubi vero plures consiliarii sunt, confirmantur; quod humana societas, in eo potissimum sita est, ut unus alteri opera, et sermone praesto sit; quod tandem (*b*) ubi multa consilia sunt, ibi salus etiam reperitur. Neque ut id vobis ostendam, Auditores, plurima a me argumenta perquirenda sunt, plurimaque verba facienda, unusquisque enim vestrum facili negocio intelligere potest multo cautius, atque prudentius, ea deliberari, quae plurimorum voto discutiuntur, quam ea, quae unius tantum opinione decernuntur. Hinc plane consequens est, omnes sponte, atque alacriter obtemperaturos iis, quae prudentum virorum consilio, et coetus universi consensione noverint esse constituta. Enim vero nemo volens, lubensque animum, judiciumque submisit illis, quae unius tantum opinione, nullo consilio, nulla deliberatione, nulla auctoritate nituntur. Quocirca veteres legum conditores, ne populus earum defugeret auctoritatem, a Deo Leges accepisse praeseferebant, quo in vulgus pervulgato, ipsas omnes obsequio, et veneratione, promptoque ad parendum animo proseqnebatur. Quis enim tam procax est, tam temerarius, ut infringere, et convellere audeat ea, quae sapienter, et matura consultatione statuta esse cognovit? Quis tam improbus, ut contemnat ea, quae rectae rationi, quae justitiae, quae religioni, quam profitetur, credit esse consentanea; quae civium saluti, populi tranquillitati, omnium felicitati putat providere? Ergo leges, quae summa providentia, et accurata deliberatione, et consultatione sanciuntur; et justae sunt, et utiles, et omnes alliciunt, et non invitos adigunt ad obtemperandum. Quae si vera sunt, ut verissima esse nemo non sanae mentis fateatur, quis non intelligit, quam utile sit, atque adeo necessarium, (c) operarios inconfusibiles, Pastores, animarum gubernatores, simul congredi, et convenire, ut vineam Dei excolant, Dominicum gre-

(*a*) Proverb. c. 13. v. 22.
(*b*) Proverb. c. 11. v. 14.
(*c*) Ap. Ep. 2. ad Tim. c. 2. v. 15.

gem pascant, atque custodiant, et optimis sanctissimisque Legibus temporum vicissitudinibus accommodatis, Ecclesiae disciplinam restituant, collapsosque populi Christiani mores adstringant? Si enim in alicujus ponderis negociis gerendis natura ipsa suademur plurimorum virorum prudentia, atque doctrina praeditorum sententiam esse audiendam; quid gravius, quam cura populi Dei, quid difficilius, quam Christianam disciplinam temporum injuria collabentem restituere? Verum multa dixi de Synodorum utilitate P. A. et quidem talia, per quae vobis omnibus innotescat, quam necessarium sit saepe, ac saepius Animarum praesides, ad communem singulorum Christianorum caussam pertractandam, simul convenire. Non autem minora de hac re dicenda supersunt. Nemo enim non videt praecipuam, et ab antiquis usque temporibus ad hanc nostram aetatem derivatam disciplinam in singulis Ecclesiis per Synodos conservari; traditiones, quae morum regulae sunt, a Christifidelibus per Synodos retineri; rectam scientiarum addiscendarum viam institui, dissensiones, quae non raro exoriuntur sedari, pravas opiniones, erroresque, veluti malum semen inter triticum erumpentes evelli, et protinus per Synodos extirpari. Quid quod Fidelium morbi, atque animorum aegritudines a recta ratione desciscentes aliter curari non possunt? An non infestis, periculosisque morbis grassantibus doctissimi medici congregantur, ut eorum consilio, doctrinaque aegrotantium saluti, atque incolumitati consulatur? Enim vero multa licet unum, aut alterum quantumvis providum, et perspicacem latuerint, plurimorum acumine, et intelligentia perspiciuntur. Non tamen is ego sum Auditores, qui velim in re omnibus nota diutius immorari, longius enim quam par est, mea protraheretur oratio. Quam ob rem multa quidem, et longe maxima, quae mihi enarranda se se offerunt, libenter praetereo, non quia gravissima minime sint, sed ne vestra videar abuti tolerantia, atque patientia P. A., qua me dicentem non brevi temporis spatio excepistis. Quae porro luculentissime in medium proferre, si mihi per tempus copia facta esset, sperarem utique vos omnes probe intellecturos, ad animarum salutem comparandam, Dominici gregis Pastorum convocationem praeclarum afferre emolumentum. Unum tamen postremo loco mihi liceat addidisse P. A. quod nimirum, si ut labores

vestri, quosquos in cura animarum impenditis (*a*) optatum fructum afferant, si ut fructus vester conservetur, et adolescat divino praesidio opus est; illud quidem congregatis hominibus a Deo Optimo Maximo promissum accepimus. Etenim saepenumero Veritatem id nobis denunciantem audivimus. (*b*) Ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum: et alio in loco: (*c*) si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo. Ad vos itaque demum orationem meam converto Genus (*d*) electum, Gentem sanctam, Populum acquisitionis, regale Sacerdotium; vos alloquor, quos (*e*) vocavit Deus in admirabile lumen suum, vosque moneo vehementerque obtestor, ne conformemini (*f*) huic saeculo, sed Christianae disciplinae restaurandae tantummodo solliciti (*g*) idipsum omnes dicatis, perfectique omnes in eodem sensu sitis, atque in eadem sententia. Habetis enim quomodo (*h*) positi super Ecclesiae muros custodes ex ea non rectas consuetudines arceatis; quomodo pericula ex perditorum hominum pravitate illi imminentia declinetis, quomodo (*i*) nihil per inanem gloriam facientes per Synodum, et ad invicem communicata consilia, sanctissimis legibus maximum juvamen, utilitatemque universis hujusce Dioecesis Christifidelibus afferatis. Vestrum igitur est, qui (*k*) sensum Christi habetis, hodierno die illud unum curare, et ex toto animo exquirere, ut omnes oves, quae vel ob Pastorum incuriam, vel ob suam malitiam perierant, ad proprium ovile reducantur, ut illa impedimenta, atque illecebrae, quae veluti Lupi rapaces gregem vestrum dissipant, atque dispergunt, protinus amoveantur, ut tandem (*l*) omnem animam in Christo Iesu perfectam exhibeatis. Monet id exemplo, et imperio praestantissimus Pastor, qui vos omnes huc accivit, ut in omnibus consilio vestro laboretis, (*m*) ut omnes salvos faciatis. Precantur Christifideles, qui cum nihil ad mores informandos agnoscant opportunius, quàm Synodos convocari, sperant, sibique pollicentur labefactatam disciplinam vestra·

(*a*) Joann. cap. 15. v. 16.
(*b*) Matth. cap. 18. v. 20.
(*c*) Ibid. cap. 18. v. 19.
(*d*) Ep. 1. B. Petri Ap. c. 2. v. 9.
(*e*) Ibid.
(*f*) Ap. Ep. ad Rom. c. 12. v. 2.
(*g*) Ap. Ep. 1. ad Cor. c. 1. v. 10.
(*h*) Isajae c. 62. v. 6.
(*i*) Ap. Ep. ad Philip. c. 2. v. 3.
(*k*) Ap. 1. ad Cor. c. 2. v. 16.
(*l*) Ap. Ep. ad Coloss. c. 1. v. 28.
(*m*) Ap. Ep. 1. ad Cor. c. 9. v. 22.

Digitized by Google

diligentia et cura in antiquum statum restituendam. Cohortatur demum Ecclesia Dei exhibere vosmetipsos probabiles Deo (a) recte tractantes verbum veritatis, scientes (b) quod labor vester non erit inanis in Domino. Quibus sane vocibus nihil addendum esse censeo; nam cujus oratione sperem vos posse commoveri, si praeclarissimi Episcopi, si omnium fidelium, si universae Ecclesiae sanctissima, gravissimaque auctoritas non commoverit?

(a) Ap. Ep. ad Timoth. c. 2. v. 15. (b) Ap. Ep. 1. ad Cor. c. 15. v. 58.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN NOMINE

SANCTISSIMAE ET INDIVIDUAE

TRINITATIS

PATRIS ET FILII

ET SPIRITUS SANCTI

AMEN.

Nos Joseph Maria Martelli Omnipotentis Dei Sanctaeque Sedis Apostolicae Gratia Archiepiscopus Florentinus, ad incrementum Divini cultus; Deiparaeque Virginis Immaculatae, ac Sanctorum Joannis Baptistae et Joseph Patronorum ; Zenobii et Antonini Antistitum Tutelarium honorem et laudem; in hac prima Dioecesana Synodo, ut Clerus ac Populus universus Nobis divinitus commendatus declinet a malo magis in dies, et faciat bonum, et tandem perfectus fiat, has Nostras Constitutiones edicimus, promulgamus, observandasque proponimus atque mandamus.

Digitized by Google

SYNODALIUM
CONSTITUTIONUM
TITULUS PRIMUS
DE IIS, QUÆ AD FIDEM PERTINENT TUENDAM ET PROPAGANDAM.
CAPUT I.
DE FIDEI CONSTANTIA ET PURITATE.

Electum Fidei donum (*a*), quod a Patre Luminum gratis accepimus, adeo custodire necesse est in sua puritate, ut, quum sit radix immortalitatis (*b*), et sortis in Templo Dei acceptissimae, in id debeamus maxime incumbere, ut omnis prorsus via praecludatur, qua posset inimicus homo (*c*) in corda Fidelium curae Nostrae coelitus commissorum irrepere, et dum minus cauti, ac veluti dormientes sunt, in medio tritici seminare zizania.

1. Hinc, ut ea, quae a (*d*) beato Petro et reliquis Apostolis et Patribus accepta, sanctae Matris Ecclesiae auspice doctrina, corde credimus ad justitiam (*e*), illibata facilius conservemus; quum Fides, ut Apostolus docet, ex auditu sit (*f*), fidelem populum ab Infidelium et Haereticorum quorumcumque colloquiis inanibus, auditum avertere commonemus.

2. Parochi vero meminerint, si quos forte infectos haeretica labe, vel de Fide male sentientes, tamquam vulpes, quae vineas demoliuntur (*g*), intra suae Parochiae limites oberrare cognoverint, Nos statim, vel Generalem contra haereticam pravitatem Inquisitorem certiores esse faciendos; ovesque sibi concreditas non modo

(*a*) Sap. 3. 14.
(*b*) Sap. loc. cit.
(*c*) Matth. 13. 24 et seq.
(*d*) Can. *Rogamus*. 24. quaest. 5.
(*e*) Rom. 10. 10.
(*f*) Rom. 10. 17.
(*g*) Cant. 2. 15.

Digitized by Google

exemplo, sed etiam verbo doceadas (*a*), quam grave cuique onus incumbat, pestilentissimos hujus generis homines, quos Catholica Ecclesia tolerare non consuevit, denunciandi. Contrafacientes anathematis vinculo obstrictos esse moneant; ob eamque rem Sacramentali absolutione, quoties ad illam expostulandam accesserint, fore privandos.

3. Quaestiones de Fide, quas cum gravissimo animi nostri moerore a sapientibus, et insipientibus etiam per jocum in otiosorum hominum conventiculis, passim excitari percepimus, ab omnium ore penitus eliminentur (*b*); iis tantummodo exceptis, ad quos pertinet ex officio. Imperiti vero (*c*), qui per summam impudentiam de quaestionibus et controversiis, quae circa Fidei dogmata incidunt, effutire atque ita in Coelum ponere os suum (*d*) palam praesumpserint, praeter indignationem Omnipotentis Dei, juris (*e*) et arbitrii Nostri severissimas poenas se noverint incursuros.

CAPUT II.

DE FIDEI PROFESSIONE.

Ut linguam interdum, quasi totius hominis gubernaculum (*f*) refraenare jubemus, ne circa Fidem naufragari (*g*) contingat: ita quoque, ubi jura praecipiunt, ut ore confessio fiat ad salutem (*h*), omnino decernimus consentaneum.

1. Omnes igitur in Apostolicis Constitutionibus (*i*) atque a Tridentinis Patribus (*k*) comprehensos et designatos, coram Nobis, seu quovis altero legitimo Superiore, servata formula, quae a Pio Papa IV. iamdudum tradita est (*l*), publicam Orthodoxae Fidei Profes-

(*a*) Concil. Gen. Later. 4. decret. 3. vers. *Adjicimus*. Sacr. Congregat. Inquis. 3. Januarii 1623. apud Nicol. in lucubrat. Civ. lib. 4. tit. ult. num. 7.

(*b*) Innoc. IV. Const. *Noverit* edit. ann. 1254. §. 3. Cap. *Quicumque*. §. *Inhibemus*. *De Haer*. in 6.

(*c*) Conc. Prov. Flor. 1573. Rubr. 9. cap. 1:

(*d*) Psal. 72. 9.

(*e*) Cit. cap. *Quicumque*.

(*f*) Jacob. 2. 4.

(*g*) Timoth. 1. 1. 19.

(*h*) Rom. 10. 10.

(*i*) Pius IV. Const. 88. in *Sacrosancta* ec. Const. 89. *Injunctum nobis* editis ann. 1564.

(*k*) Trid. sess. 24. cap. 12. de ref. et sess. 25. cap. 2. de ref.

(*l*) Cit. Const. *Injunctum*.

sionem facere intra praescriptum tempus, sub poenis per Canonicas Sanctiones latis, aliisque arbitrio Nostro inferendis, teneri statuimus.

2. Ad Dignitates et Canonicatus in Ecclesia Nostra Metropolitana, necnon ad quaslibet in Dioecesi, quibus cura imminet animarum, Ecclesias promoti, Tridentini Concilii (*a*) et Praedecessorum nostrorum Constitutiones (*b*) hac in re servent; poenis in transgressores inflictis in suo semper robore permanentibus.

3. Praecones etiam Verbi Dei, antequam circuire Evangelizantes incipiant (*c*), nunquam aliàs praestitam, coram Nobis praestent Fidei professionem (*d*); planeque se noverint Regulares ad eam emittendam in manibus Superiorum suorum, Nobis annuentibus, obstrictos esse.

4. Constitutionem quoque ad eos, qui artes liberales, humaniores literas scientiasve docent, vel aliter erudiendae praesunt juventuti (*e*), extensam innovamus, atque ad primaevam reducimus observantiam; qui secus fecerint, Canonicas poenas et etiam arbitrarias non evadent.

V. Omnes autem ii Fidem publice profitentes (*f*) peculiari Libro accurate notentur; isque in Cancellaria nostra custodiatur diligentissime (*g*).

CAPUT III.

DE CATHECUMENIS ET NEOPHYTIS.

Quamvis in hac Urbe Serenissimorum Principum Regalis Munificentia ac Pietas eximia, et Praedecessorum nostrorum Pastoralis sollicitudo Cathecumenis et Neophytis, satis superque consuluisse videatur: ne tamen in dies ea, quae bene ac sapienter instituta sunt, ex hominum memoria deleta obsolescant; tum Synodalibus Constitutionibus omnibus super hoc emanatis, tum iis praecipue, quas

(*a*) Cil. Cap. 12.

(*b*) Synod. Florent. ann. 1710. cum ibi relat.

(*c*) Luc. 9. 6.

(*d*) Sacr. Conc. Congr. in una Brugnatens. relata a Nicol. lib. 1. lucubr. Can. til. 1. num. 11. vers. 6.

(*e*) Provinc. Florent. anno 1573. Rubr. 1. cap. 13.

(*f*) Singillatim habentur in Synod. Rom. ann. 1725 sub Benedict. XIII. tit. 1. cap. 1. per tot.

(*g*) Provinc. Florent. ann. 1573. Rub. 1. cap. 14.

Petrus Niccolinus Praedecessor noster vigilantissimus in limine fundationis (a) piae Cathecumenorum Domus edidit et approbavit, omnimode inhaerentes ea, quae sequuntur, censuimus inculcanda.

1. Praedictae Domus Praefectos hortamur in Domino, ut quos sedentes in tenebris et umbra mortis (b) Oriens ex alto vocavit in admirabile lumen suum (c), paterne complectantur (d), ut omnia in illis recte fiant, sedulo animadvertant, ejurandae sectae foeditatem detestandam execrandamque proponant, moneantque praecipue, ut assidue gratias agant Deo Patri, qui dignos eos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, eripuitque de potestate tenebrarum, et transtulit in Regnum Filii dilectionis suae (e).

2. Munuscula, nuncios, epistolas, allocutiones (f), quidquid denique commercii cum veteris Religionis sectatoribus, cum illis praesertim, qui consanguinitatis vinculo copulantur, esse potest, nullatenus habere permittant; ne forte incauti et quasi nondum solidiori cibo assueti, in veterem vilitatem degeneri conversatione redire (g) paulatim compellantur.

3. Si qui vero (quod absit) Christiani vel infideles reperti fuerint, qui Cathecumenos nostros a sancto proposito dimovere studeant, sancitis in jure (h) poenis, et iis praecipue, quas Thomas Bonaventura ex Comitibus Gherardeschae Praedecessor noster inflixit (i), subjacebunt.

4. Postquam anima Fidei susceperit veritatem (k), (quod munus docendi Cathecumenos ea, quae necessaria sunt ad salutem, proprium esse decernimus Praesidentis Congregationis S. Salvatoris, Sacerdotumque ab eo eligendorum) corpus Baptismi recipiet Sacramentum. Sed priusquam ad regenerationis lavacrum accedant, examen subeant (l) per alterum ex infra deputandis de speciali Nostra commissione, seu Vicarii Nostri Generalis habendum, ejusque habita ratione, legitimam a Nobis facultatem obtineant in scriptis, necesse est.

(a) Die 28. Novembris 1636.
(b) Luc. 1. 79.
(c) Petr. 1. 2. 9.
(d) Cap. *Qui sincera*, distinct. 45.
(e) Coloss. 1. 12. et 13.
(f) Conc. Prov. Med. 3. sub. D. Carolo part. 3. *De Judais.*
(g) Leo Magn. Serm. 1. de Nat. Dom.
(h) Greg.XIII. Const. *Antiqua Judaeorum* edit. ann. 1581.
(i) Synod. Flor. ann. 1710. tit. 1. cap. 3. num. 4.
(k) Hier. lib. 4. Comm. in Matth. in fin.
(l) Concil. Med. cit. loc. cit.

Digitized by Google

5. Iis denique in Vineam, quam plantavit dextera Domini, ut reddant fructum temporibus suis (*a*), translatis, ea Nos omnia alacri ac libenti animo praestaturos pollicemur, quae Sacri Canones ac Pontificiae Constitutiones (*b*) praestare Nos voluerunt atque hortatae sunt. Interea ab ipsis ea omnia serventur exacte, quae Thomas ex Comitibus Gherardeschae Praedecessor noster servari jussit (*c*); poenis ab eo sancitis in transgressores, nullatenus immutatis.

CAPUT IV.

DE MIRACULIS.

Humani generis hostis tot insidiae tantaeque sunt (*d*), ut falsis etiam miraculis saepe in errorem inducat Christifideles. Ex quo plane fit, ut mirabilia opera Domini, qui posuit prodigia super terram, in aedificationem Ecclesiae sanctae suae, per malignos et rudes homines, nisi opportunis remediis occurramus (*e*), quandoque retorqueantur ad destructionem.

1. Quare sub excommunicationis poena jubemus, ne quis de cetero, nisi Nobis recognoscentibus et approbantibus, nova miracula admittere, aut ea de caussa concursus aut acclamationes excitare praesumat; prout etiam Tridentinum Concilium (*f*), et Praedecessores nostri tum in Provincialibus (*g*), tum in Dioecesanis Synodis (*h*) decreverunt.

2. Si quo tamen in loco nonnihil ejusmodi fieri contingat, Parochi statim rationem aliquam sedandis rumoribus accommodatam ineant; deinde vero ad Nos deferant summam totius rei (*i*).

(*a*) Matth. 21. 4.

(*b*) Paulus III. Constit. *Cupientes* edit. ann. 1542. Clemen. XI. Constit. *Propagandae* edit. ann. 1704.

(*c*) Syn. ann. 1710. hic. num. 8. et seq.

(*d*) Concil. Sipontin. ann. 1567. apud Bail in summ. Concil. part. 2. in additionibus.

(*e*) Cap. 1. et 2. *De Reliq.* etc. Trid. sess. 25. *De invocat.* etc. *Sanct.*

(*f*) Sess. 25. loc. cit.

(*g*) Synod. Prov. Flor. 1573. rub. 6. cap. unic.

(*h*) Synod. Dioec. 1710. tit. 1. cap. 4.

(*i*) S. R. C. apud Monac. form. leg. pract. part. 2. tit. 15. form. 18. num. 35.

Digitized by Google

CAPUT V.

DE PRAEDICATIONE VERBI DEI ET DE DOCTRINA CHRISTIANA.

Evangelicae Praedicationis munus, et erudiendae plebis Officium, quod Dominus Jesus post Passionem suam apparens Discipulis (*a*), ut in eorum cordibus altius infigeretur, ac veluti quoddam mandatorum suorum esset complementum, novissimis verbis suis magnopere commendatum atque inculcatum reliquit (*b*); ita quidem decet Episcopos (*c*), ut ceteris quoque Sacerdotibus inferioribus, quibus Dominici Gregis pascendi cura demandata est, omnino conveniat (*d*), per amplas praesertim Dioeceses et diffusas (*e*). Visum est itaque de tanta eorum obligatione Dioeceseos nostrae Parochos admonere; et ut facilius partibus suis satisfacere valeant, rationem quamdam ac methodum illis in praedicando edocendoque sequendam proponere.

1. Pastores, quibus speciatim injunctum est munus, ut Gregem Domini per se pascant, ac salutaribus verbis Oves enutriant suae Curae commissas, caveant ne statutis praesertim in Tridentino (*f*) diebus, suis partibus desint, vel si aliquando contingat aliorum ministerio opus esse, neminem in suis Ecclesiis ad officium admittant Praedicationis, quem super eo Facultate nostra non viderint communitum.

2. Hanc autem praedicandi Facultatem omnibus et singulis hoc Apostolico munere fungi volentibus, juxta Canonicas Constitutiones (*g*), necessariam esse declaramus, in scriptis semper obtinendam; Regularibus quibuscumque nedum exceptis; qui si velint in Ecclesiis suorum Ordinum praedicare, a Nobis Benedictionem tenentur personaliter petere (*h*). In transgressores poenis tum per Genera-

(*a*) Act. 1. 3.

(*b*) Matth. 28. 19. Marc. 16. 15.

(*c*) Can. *Episcopus nullam* dist. 88. Trid. sess. 5. cap. 2. et sess. 24. cap. 4. de ref.

(*d*) Cap. *Quod Dei timorem* §. ult. *De stat. Mon.* Clem. *Dudum*. §. *Verum. De Sep.* et Trid. citatis loc.

(*e*) Concil. Gen. Later. 4. decr. 10.

(*f*) Cit. cap. 4.

(*g*) Cap. *Quam sit. De Judaeis etc.* cap. *Excommunicamus* 13. §. *Quia vero. De Haer.* cum concord.

(*h*) Trid. sess. 24. cap. 4. de ref. et Greg. XV. Constit. *Inscrutabili* edit. ann. 1622. §. 6.

lium Conciliorum Decreta (*a*), tum per Synodales Praedecessorum nostrorum Constitutiones (*b*) sancitis, ubi opus fuerit, animadvertetur.

3. Errones et Circulatores, aut si qui sunt alii, rudes homines et nugaces, qui publice eloquia Domini importuna temeritate, aut etiam propter bonam voluntatem annunciare, vel, quod absit, per scurrilitatem in scenam veluti adducere, et auditoribus obtrudere deridenda praesumpserint, Parochi et monitis et objurgationibus ab incepto deterreant (*c*); de contumacibus vero certiores Nos facere minime praetermittant.

4. Sacri Oratores, praesertim Parochi, sermocinandi materiam non ex arcanis Theologiae penetralibus, non ex floridissimis Rhetorum hortis ambitiosius, quam utilius excerpant (*d*), non convertantur ad fabulas; stultiloquium, aut scurrilitatem, quae ad rem non pertinet, non immisceant; sed magis Christum, et hunc Crucifixum annunciantes (*e*), instans novissimorum discrimen, peccati turpitudinem et detrimenta, vim et usum Sacramentorum, quidquid denique unicuique, pro diversa vitae ratione, fugiendum agendumve sit, quidquid probum et honestum virum, praecipue vero Christianum deceat, tenui ac facili stylo explanantes, sanam semper doctrinam ea, qua par est, gravitate sustineant; memores, quod, quum pro Christo legatione fungantur (*f*), non quae sua sunt (*g*), idest ab hominibus gloriam (*h*); sed quae sunt Jesu Christi (*i*), Ecclesiae videlicet aedificationem, quaerere pro viribus debent.

5. Ut autem Coelestes Operarii in excolenda Magni Patrisfamilias vinea, tota die laborantes (*k*) fructum laboribus suis respondentem recipiant; hortamur omnes in Domino atque obtestamur, ut ad Sacras veniant Conciones cum humilitate et attentiori studio in Lege Domini erudiri unice requirentes. Clericis vero praecipimus (*l*), ut in omnibus semper, in hoc praesertim, fideli populo exemplum

(*a*) Conc. Later. 5. sess. ult. *De mod. praedic.* Trid. sess 25. cap. 2. de ref.

(*b*) Prov. Flor. 1573. Rubr. 19. cap. 3.

(*c*) Cap. *Cum ex injuncto* §. 1. *De Haer.*

(*d*) Leo X. Constit. *Superna* edit. ann. 1516.

(*e*) Innoc. XI. Constit. *Creditae nobis* edit. ann. 1680. part. 1. de Const. Cler. secul. etc. num. 37. et 38. in Bullar. cont. part. 1.

(*f*) Cor. 2. 5. 20.

(*g*) Eph. 6. 20.

(*h*) Thess. 1. 2. 6.

(*i*) Philipp. 2. 21.

(*k*) Matth. 20. 1.

(*l*) Innoc. XI. citata Constit. part. 20. de Const. juvenl. num. 41.

se praebeant, nec sibi, quod in via mandatorum Domini satis instructi sint, perniciose blandiantur; sed potius recordentur, quod Divinae Legis praecepta sapiens audiens sapientior erit, et intelligens factus in dies intelligentior, gubernacula, quibus alios quoque dirigere valeat, possidebit (*a*).

6. Sed quia multoties accidit, ut dum Sacrae Conciones aperte quantumvis habentur, non ita res dilucide tradantur, ut a quibuscumque imperitioribus et corde tardioribus percipi satis queant; idcirco Generalium Conciliorum (*b*) et Praedecessorum nostrorum Decretis (*c*) inhaerentes, sub interminatione Divini judicii, et aliis per dictos Praedecessores nostros statutis poenis Parochis injunctum edicimus, ut diebus festis, praesertim Dominicis, Populo ad hoc convocato, Fidei rudimenta tradant; et in eis explicandis, Cathechismo Romano uti volumus et mandamus; ita tamen, ut quae in Orthodoxo volumine docte non minus ac eleganter conscripta sunt, vernaculo sermone, verbisque, ut captus est auditorum (*d*), disertis exponere, et enucleare accuratissime studeant, juxta normam ab Eminentissimo Bellarmino S. R. E. Cardinali propositam jussu Clementis VIII. (*e*)

7. Insuper praememoratis diebus, lecto Evangelio, eoque de more, qui in Tridentino (*f*) fundatur, inter Missarum solemnia declarato, Fidei, Spei, Caritatis, et Contritionis actus, dumtaxat juxta formam inferius appositam, circumstantes edoceant, illisque praeeant (*g*) eliciendo eos actus, eosque recitando clara et distincta voce, ut subinde respondeat populus, quod praecinit Parochus. Et sicut hoc modo actus huiusmodi recitantibus, ruri quidem post Evangelium; in Urbe vero, aliisque frequentioribus locis, occasione Doctrinae Christianae, Indulgentiam Nostram elargimur: ita inobedientes arbitrarie punientur.

8. Ceterum, qui Mysteriorum Dei penitus inscii, nec non

(*a*) Prov. 1. 5.

(*b*) Trid. sess. 5. cap. 2. de ref. et sess. 24. cap. 4. de ref.

(*c*) Synod. ann. 1710. tit. 1. cap. 5. num. 2.

(*d*) Cathechism. Roman. edit. jussu Concil. Trident. in praef. n. 11.

(*e*) Edict. Clem. XI. de Doctr. Christ. 13. Sept. 1713. §. 15. in Bullar. cont. part. 2.

(*f*) Sess. 22. cap. 8. de ref.

(*g*) Ad normam Conc. Rom. sub Benedicto XIII. tit. 1. cap. 5.

Digitized by Google

Parentes, quique Parentum loco sunt (*a*), Dominique, quorum culpabili negligentia filii, minores, famulique ignari ad hanc saluberrimam exercitationem in Parochiam, vel alio (quod fieri posse conscio et annuente Parocho benigne indulgemus) convenire contempserint; ab omnibus Sacramentis percipiendis, praeterquam in mortis articulo, et a quolibet patrinorum munere exercendo, donec resipuerint, arceri praecipimus (*b*); severioribus etiam poenis arbitrio Nostro reservatis.

9. Parvulos quoque in Fide Orthodoxa instituere ad ludi Magistros pertinere (*c*) saltem semel in hebdomada, constituimus; eosque praeterea quaecumque de pueris in iis, quae ad religionem pertinent, erudiendis in ultimo Lateranensi Concilio (*d*) salubriter statuta sunt, exacte servaturos confidimus.

10. Ut autem Parochi, et reliqua pariter Fidelium multitudo, ad obtemperandum Nobis promptiores et alacriores reddantur, omnibus Curam animarum exercentibus, sub poena decem aureorum districte praecipimus, ut semel in anno de tradita et explicata Christiana Doctrina trium Virorum fide dignorum una cum propria subscriptione testimonium Nobis exhibeant; populumque quater saltem in anno, inter Missarum solemnia, docere non praetermittant Indulgentias, quas Summi Pontifices, et prae aliis Paulus V. (*e*) ad hoc saluberrimum exercitium convenientibus concessere.

CAPUT VI.

DE JUDAEIS ET HAERETICIS, CETERISQUE IN FIDE SUSPECTIS.

Quoniam Judaeorum mores et nostri in nullo concordant; et ipsi de facili ob continuam conversationem, et assiduam familiaritatem ad suam superstitionem et perfidiam simplicium animos in-

(*a*) Edict. Clem. XI. die 13. Sept. 1713. §. 19. Concil. Provinc. Flor. anno 1573. rubr. 21. cap. unic.

(*b*) Lit. circul. Clem. XI. sub. die 16. Mart. 1703. num. 4. in Bullar. cont. part. 2.

(*c*) Innoc. XI. sub die 10. Decembris 1677. Sacr. Conc. Congr. sub 17. Septembr. 1688. relat. in cit. Edict. Clem. XI. §. 7.

(*d*) Sess. 9.

(*e*) Constit. *Ex credito* edit. ann 1607.

Digitized by Google

clinarent (*a*); omnibus Christianis, qui sunt in Jurisdictione nostra, de tributa Nobis a Sacris Canonibus (*b*) potestate, sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda (*c*), penitus interdicimus, ne Judaeorum servitio, quodcumque illud sit, assidue se tradant (*d*).

1. Nullus autem etiam ex his, qui in dies vel horas, ad quod Facultate nostra opus esse decernimus (*e*), operas illis suas locant, eorum mensis intersit. Nullus etiam (*f*) Magistris vel Medicis Judaeis, aut medicamine aliquo, sive poculentis sive esculentis, in officinis ipsorum comparatis, aut etiam dono datis utatur. Quidquid familiaritatem et necessitudinem redolet (*g*), veluti eorum nuptiis, diebus festis, Synagogis, aut (quod detestabilius est) choreis adesse; sub poenis in Jure latis, aliisque arbitrariis, ab omnibus evitetur.

2. Et quod pertinet ad Nutrices, Sacri quidem Canones (*h*) expresse prohibuerunt, ne Christianae mulieres lactandos accipiant pueros Hebraeorum. Si vero contingat interdum, ut justa de caussa super hoc dispensemus, extra domos Hebraeorum lactentur pueri (*i*), et cautelae serventur a Decessoribus nostris, praesertim ab immediato, praescriptae (*k*).

3. Quod si pro Fidelibus quibuscumque, a perfidae gentis consortio divellendis, tantum laboris impendimus ac diligentiae; multo magis hac in re Sacris Virginibus, Ecclesiastici germinis flori, par est nos esse praesidio. Ab illarum igitur Claustris, atque etiam a quarumcumque puellarum, ac mulierum collegialiter viventium domiciliis (*l*), quae Conservatoria appellamus, absistant Judaei; nec quamcumque praetexentes caussam, sub poenis per Praedecessores nostros sancitis (*m*), hanc nostram audeant Constitutionem eludere.

(*a*) Cap. *Ad haec.* 8. *De Jud. etc.* ad lit.

(*b*). Cit. cap. *Ad haec.*

(*c*) Concil. Prov. Florent. ann. 1573. rubr. 8. cap. 2.

(*d*) Cap. *Judaei* cum concord. *De Judaeis etc.*

(*e*) Concil. Prov. Med. 1. sub D. Carolo part. 3. *De Jud.*

(*f*) Concil. Epaun. ann. 517. can. 15. Gregor. XIII. Const. *Alias* edit. ann. 1581.

(*g*) Concil. Constantinop. in Trullo can. 11.

(*h*) Cap. *Etsi* §. *Inhibemus de Jud etc.* Conc Prov. Flor. ann. 1573. rubr. 8. cap. 2 Prov. Med. 1. sub D. Carolo part. 3. *De Jud*

(*i*) Cap. *Ad haec de Jud. etc.* Greg. XIII. Constit. *Antiqua* edit. ann. 1581. §. 11.

(*k*) Synod. 1710. tit. 1. cap. 7. num. 5.

(*l*) Sacr. Episc. Congr. 28. Novembr. 1594. apud Gav. in Man. Episc. verb. *Hebraei* num. 22.

(*m*) Synod Flor. ann. 1710. tit. 3. cap. 11. num. 15. cum ibi citatis.

Digitized by Google

4. Maxime caveant, ne Fidelibus impedimento sint colentibus dies festos (*a*), quapropter extra septum optimo quidem consilio, et Apostolicis constitutionibus conformi (*b*), seorsum pro eorum usu constructum, ac dudum eis excipiendis Regia munificentia amplificatum (quod nos patrio sermone dicimus *Ghetto*) contractum praesumant nullum inire, nec aliud quidpiam tunc temporis agere a cultu Dei Christianorum mentes avertens (*c*); quod si praesumpserint, arbitrio Nostro obnoxios fore decernimus.

5. Et ut vasa Domini, quae, testante Propheta Evangelico (*d*), munditiem decere admonemur, genti immundissimae contrectandi omnis occasio auferatur; mandamus Christianis (*e*), ne Calices, Patenas, sacras Pyxides, vestes etiam et ornamenta, quocumque nomine censeantur, quidquid denique Altaris ministerio apud nos inservire consuevit, vel vendant Judaeis, vel apud ipsos quovis praetextu seponant. Judaei quoque res hujusmodi emere, aut quacumque de causa retinere non audeant. Contrafacientes poenas a jure, et nostris Praedecessoribus constitutas incurrant; atque insuper (*f*) Christiani, si Laici sint, excommunicentur; si Clerici, suspendantur.

6. Si vero eo temeritatis ac dementiae processerint Judaei, ut Fidei nostrae Mysteria deridere, dogmata utrique Testamento communia negare vel impugnare (*g*), Sacros ritus ac caeremonias contemnere, Sacramentis aut Sacramentalibus abuti, Sanctorum imagines ac reliquias despectui habere non vereantur; sciant se severissime puniendos.

7. Magicis autem, aliisque superstitiosis artibus (*h*) ad sortes, divinationes, veneficia, ac maleficia quaecumque perpetranda Christianis operam praebentes, bonis omnibus saeculari Fisco applicandis spoliabuntur, ad Triremes perpetuo damnandi. Christiani vero tali opera utentes, eo ipso sint excommunicati.

(*a*) Pius V. Const *Romanus Pontifex* edit. ann. 1566.

(*b*) Paul. IV. Constit. *Cum nimis*, edit. ann. 1555.

(*c*) Concil. Prov. Med. 5. sub D. Carolo part. 1. *Quae ad fidei tuendae studium pertinent*. Conc. Prov. Flor. ann. 1573. rubr. 8. cap. 1.

(*d*) Is. 52. 14.

(*e*) Decr. Supremae Inquis. 1629. apud Pignatt. tom. 5. consult. 14. num. 156. argum. cap. 1. *De pign.*

(*f*) Synod. ann. 1710. tit. 1. cap. 7. num. 3.

(*g*) Gregor. XIII. Const. *Antiqua* edit. ann. 1581. §. 2.

(*h*) Gregor. XIII. Constitut. ead. §. 4.

8. De Haereticis, praeterquamquod satis multa in omnibus fere Sacrorum Canonum voluminibus salubriter constituta sunt; Nos certe in primo hujus Tituli capite ea, quae ad illos evitandos denunciandosque idonea visa sunt, quantum res patiebatur, in Domino attigimus.

9. Quod ad opera spectat ab Haereticis edita, quae legi ac retineri omnimode prohibentur (*a*), Indicis Regulae (*b*) perlegantur, et inviolabiliter observentur.

10. Typographi ac Bibliopolae ea non negligant, quae de impressione Librorum Lateranensis (*c*) ultima, et Tridentina (*d*) Synodus decreverunt, sub poenis in Canone ejusdem Lateranensis Concilii appositis, ac per Tridentinum innovatis, et in novissima Dioecesana Synodo (*e*) recensitis.

11. Fictae quoque religionis a Sacris Canonibus (*f*) arguuntur sortilegi, aliique superstitiosam ac maleficam artem profitentes; eaque de re contra hos, non secus ac contra verae Fidei inimicos vehementius Pastorali jubemur (*g*) invigilare custodia; ne forte, ut ajebat Apostolus, quum sint, qui dies observent, et menses et tempora et annos (*h*), sine caussa in defensione Evangelii laboraverimus. Sacrorum itaque Canonum, ac utriusque Provincialis Florentinae Synodi decretis (*i*) venerabundi inhaerentes, sub poenis in iisdem contentis, aliisque arbitrariis sancimus, ne quis quacumque de caussa ad opem et subsidium Daemonum confugere, malas artes docere, aut quomodocumque profiteri, vel divinationes aliquas in aliquibus rebus observare praesumat (*k*). Si quis autem (quod detestabilius est) Sacrae Scripturae verba ac sententias ad has superstitiones impias, et diabolicas incantationes, divinationes, sortes, atque adeo ad turpia, aut etiam libellos famosos conficiendos detorserit (*l*),

(*a*) Concil. Gen. Nicaen. 2. can. 9.

(*b*) Regul. 2. per tot.

(*c*) Sess. 10.

(*d*) Sess. 4. decret. *De edit. et usu sacr. libr.*

(*e*) Tit. 1. cap. 9. §. 2.

(*f*) Can. unic. 26. quaest. 1. et Can. *Sed et illud* ead. causs. quaest. 2.

(*g*) Can. *Contra idolorum*, cit. causs. quaest. 5.

(*h*) Galat. 4. 10. et 11.

(*i*) Synodo Prov. Florentino anno 1517. *De Deo Glorioso* Capit. 6. Synod. Prov. Flor. ann. 1573. rubr. 7. cap. 1. et 2.

(*k*) Cap. 1. *De sortil.*

(*l*) Trid. sess 4. in decret. *De edit. et usu sacr libror.* §. ult. Catechis. Roman. part. 3. de 2. Decal. praecept. num. 20.

aureorum centum prima vice, secunda ducentorum multa damnabitur; cujus quarta pars delatoris commodo cedat. Qui tertio ejusdem criminis reus agetur convictus, praeter multam, seu poenam corporis afflictivam, in excommunicationem incidet.

13 Cetera quoque per Praedecessorem nostrum Thomam ex Comitibus Gherardeschae (*a*) in eos, qui Sacra Scriptura abutuntur, sancita, in suo robore permanere volumus et mandamus.

14. Non minori sane incommodo ac detrimento, quam recensiti hactenus homines Orthodoxae Fidei esse videntur Christiani illi, qui divinam Bonitatem ac Majestatem, quae (*b*) accipere digna est gloriam et honorem et virtutem, probris ac maledictis lacessere, et contumeliis (dictu audituque horrendum) afficere impudentissime audent. Ad abolendum itaque tam nefarium et execrabile blasphemiae scelus, iis Nos remediis et poenis, quae in Apostolicis Constitutionibus (*c*), et in Generalium Conciliorum decretis (*d*) contra blasphemos sancita sunt, condigna sollicitudine procedemus.

15. Interni quoque Fori Judices blasphemos asperrime, juxta constitutionem (*e*) Leonis X. noverint esse coercendos, sibique consuetudinarios absolvendi facultatem a Nobis ademptam esse meminerint. Rudes tamen et imperitos, quae vere blasphemiae sunt, diligenter edoceant; et licet earum quaedam in se blasphemiae nullatenus esse videantur: quia tamen piis Fidelium auribus horrori atque offensioni esse consueverunt, acrius in ipsas invehantur, et quantum in ipsis est, penitus extirpare contendant; inculcantes praeterea obligationem denunciandi Nobis, vel Sacrae Inquisitioni haeriticaliter blasphemantes; nec non alias poenas, quas contrafacientes incurrent, et Indulgentiam annorum decem, quam obedientibus Romanus Pontifex (*f*) elargitus est, exponentes.

16. Parochi vero ad haec, saltem semel in anno inter Missarum solemnia, Edictum Sacrae Inquisitionis contra blasphemos (*g*), aliosque, de quibus hoc capite actum est, populo annuncient. Si Parentes ac Domini, filiis ac servis blasphemantibus sedulo advigilaverint coercendis, eos Nostrae curae gaudebimus adjumento fuisse.

(*a*) Synod. Dioeces. tit. 1. cap. 10.
(*b*) Apoc. 4. 11.
(*c*) Pius V. Const. *Cum primum* edit. ann. 1566.
(*d*) Conc. Later. ult. sess. 9. can. 9.
(*e*) Constit. *Supernae*, edit. ann. 1514.
(*f*) Leo X. cit. Const.
(*g*) In Addit. Synod. 1710. pag. 263.

CAPUT VII.

DE SANCTORUM INVOCATIONE, VENERATIONE, RELIQUIIS ET IMAGINIBUS.

Etsi Coelestis Jerusalem Beatissimos Cives ab obloquentium injuriis ea, qua par est, providentia vindicare studuimus: partibus tamen nostris nondum videmur cumulate satisfecisse, nisi et illorum cultui consulere, et qua ratione illorum memoriae obsequium praestare, Reliquias et Imagines venerari deceat, quantum in Domino dabitur, praescribamus.

1. Primum igitur animo recolendum est, nemini licere quempiam pro Sancto absque auctoritate Romanae Ecclesiae publice venerari (*a*). Si quae vero Reliquiae alicujus jam inter Coelites relati esse dicantur, publicae venerationi non sunt exponendae, nisi ab Apostolica Sede, Nobisve recognitae fuerint et approbatae (*b*). Ea Sacra pignora Sigillo nostro munita, decenti semper in loco, nunquam tamen in eo, ubi Sacratissimum Christi Corpus asservatur(*c*), diligentissime custodiantur; inde vero quacumque de caussa, non extrahantur, Nobis inconsultis.

2. Quandocumque Fidelium cultui, annuentibus Nobis, exponenda sunt (quod passim ne fiat a Sacris Canonibus (*d*) admonemur, ne Christianae religioni detrahendi praebeatur occasio) id a solo Sacerdote superpelliceo ac stola decorato, non sine cereis luminibus (*e*) praestetur, nec extra capsam ullatenus ostendantur (*f*). Solius quoque Sacerdotis sit alba saltem et stola induti; aut in necessitate, Diaconi proprio pariter habitu ornati, insignes Reliquias in supplicationibus sub umbella facibus hinc inde collucentibus circumferre. Sacra tamen haec pompa nunquam in ipsa, vel in contigua Ecclesia ducatur, ubi Venerabili Eucharistiae publica exhibetur adoratio.

(*a*) Cap. 1. *De reliq. etc.* Urbanus VIII. Constit. *Sanctissimus* editio. ann. 1625.

(*b*) Trident. sess. 25. in decret. *De invocat. vener. etc.* Sixtus V. Const. *Dominus Omnipotens*, edit. ann. 1588.

(*c*) Sac. Rit. Congr. apud Pitton. in Const. Pont. et Decis. num. 66.

(*d*) Cap. final. *De reliq. etc.*

(*e*) Concil. Aquenes. ann 1585. *De reliq. etc.*

(*f*) Cit. cap. fin.

Digitized by Google

3. Reliquiarum nomina (*a*), quae in qualibet Ecclesia vel Oratorio asservantur, tabella aliqua Catalogi instar notentur; eaque in eadem Ecclesia vel Oratorio, ad excitandam augendamque in eos Sanctos fidelis populi devotionem, omnibus conspicienda suspendatur.

4. Morem quoque Sanctorum Imagines venerandi, quem semper retinuit ac docuit Sancta Universalis Ecclesia (*b*), sartum tectum servare cupientes statuimus, ut in illis effingendis (*c*) nihil falsum, profanum, nihil inhonestum, nihil non recte atque ex ordine adhibeatur; sed quidquid Sacrarum Imaginum pingi scalpive contigerit, veritati Scripturarum, Traditionum, et Ecclesiasticarum Historiarum conveniat. Quod an Artifices sint assecuti, judicio Nostro dijudicandum reservamus (*d*). Quamobrem Icones nullae publico Fidelium cultui exponantur, nisi prius a Nobis super hoc fuerit obtenta facultas (*e*).

5. Earum sanctitati ac decori, loci mundities, et honestas respondeat apparatus (*f*); quapropter nullae Sacrae Imagines in foedis locis apponantur exprimanturve (*g*).

6. Quemadmodum vero nemini licet quempiam pro Sancto absque auctoritate Sedis Apostolicae venerari: ita quoque nullum, quem veluti cum Deo regnantem Romana non colit Ecclesia, cum Sanctitatis insignibus pingere, aut exculpere permissum est (*h*). Quicumque contra praedicta deliquerit, gravi se sciat animadversione plectendum.

CAPUT VIII.

DE INDULGENTIIS.

Cultus ac reverentia, qua Nos praestantissimos Christi Coheredes prosequimur, tanta ac tam varia fructuum ubertate rependi-

(*a*) Acta Mediolan. Eccles. part. 2. cap. 3. *De supellect. Sacrist. Paroch.*

(*b*) Can. *Venerabiles* de consecrationis dist. 3.

(*c*) Concil. Provinc. Mediol. 1. sub D. Carolo part. 3 *Quae servanda sunt in sacris Imaginibus effigendis.*

(*d*) Urban. VIII. Const. *Sacrosancta*, edit. ann. 1642.

(*e*) Concil. Mechlinien. ann. 1570. *De Imaginib.*

(*f*) Sac. Episcop. Congr. apud Pitton. Constit. ac Decis. Apost. num. 85.

(*g*) Concil. Prov. Flor. ann. 1517. *De Deo glor.* cap. 3.

(*h*) Urb. VIII. Const. *Sanctissimus*, edit. ann. 1625.

Digitized by Google

tur; ut uostra profecto vehementer, quod honorandi sint a nobis, quod praedicandi, non illorum dumtaxat fatendum sit interesse. Quid enim tenuitati nostrae, quid imbecillitati magis proficuum ac consentaneum, quam ex omnium Sanctorum et Regis Sanctorum Christi meritis praeclarissimis atque infinitis, cumulum quemdam coaluisse, cujus nos interdum ex Ecclesiasticae potestatis dispensatione participes esse valeamus?

1. Hanc igitur meritorum Christi, ejusque Sanctorum applicationem (Indulgentias vocamus, quarum depositum Romana (*a*) servat Ecclesia) quoties Apostolicae Sedis benignitate ac munificentia contingat Populo Christiano impertiri, commissam sibi plebem Parochi admoneant, quis ejus sit usus, quee vis ac natura, quasve pro ea nanciscenda conditiones implere necesse sit; praecipue vero, quae de Indulgentiis a Tridentina Synodo (*b*) decreta sunt, docere non praetermittant,

2. Æs pia Fidelium oblatione congestum, ubi Romani Pontificis jussu lucrandarum gratia Indulgentiarum elargienda est eleemosyna (qua dempta conditione eleemosynarum capsulam in Ecclesiis apponi districte prohibemus) ad Nos opportune deferatur, arbitrio nostro pie ac fideliter erogandum.

3. Quoties in Apostolicis Indulgentiarum literis (sine Nostra facultate (*c*), adhibitis etiam duobus de Capitulo, minime promulgandis) Ecclesiarum injuncta est visitatio, extra Civitatem et Suburbia Plebanos aliosque matricium Ecclesiarum Rectores earumdem electioni praeficimus. Quos omnes in iisdem Ecclesiis designandis, antiquiorum Plebanatus sui Parochorum adhibito consilio, populorum dumtaxat, non proprium commodum prae oculis habere enixe rogamus, et quatenus opus sit, injungimus etiam ac mandamus.

4. Si quae ruri Ecclesia nulla gaudeat Indulgentiarum concessione, ad personales saltem Indulgentias sibi comparandas, quae super praecariis quibusdam globulis (vulgo *Corone, e Rosarj*) devote orantibus (*d*); et numismata (vulgo *Medaglie*) Pontificis

(*a*) Cap. *Cum ex eo*. §. fin. *De Poenit. etc.* Extrav. *Unigenitus* eod. tit inl. comm.

(*b*) Sess. 25. decr. *De Indulg.*

(c) Concil. Trident. sess. 21. *De Reformat.* cap. 8. Concil. Provinc. Mediol. 5. sub D. Carol. *De Indulgent. et sacris etc.*

(*d*) Sacr. Indulg. Congr. annuente Clem. XI. die 22. Aprilis 1714.

Summi benedictione consecrata (*a*), Sacra item scapularia quaedam gestantibus (*b*) concedi consueverunt, Fidelium mens excitetur.

5. Quum vero Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, praeter Decretum illud de Apocryphis Indulgentiis celeberrimum (*c*), multa quoque Indulgentiarum summaria, ut apocrypha, nuperrime proscripserit (*d*); in id Parochi incumbant, ut quae verae sunt Indulgentiae, quae deinceps rejiciendae, demonstrent, moneantque populum, ut earum confirmationem petant, quarum elapsus est terminus; ne quum dormierint, qui sese his confisi viros divitiarum crediderunt, nihil in manibus suis invenisse querantur.

CAPUT IX.

DE FESTORUM DIERUM OBSERVANTIA.

Ne tamen unis Beatorum meritis confidentes, terrenis semper negotiis implicati, inutilem prorsus et a bono opere torpentem vitam degamus; Catholica Ecclesia, Divino Spiritu afflante, certos quosdam dies instituit, quos divinis laudibus majori cum laetitiae apparatu concinendis, sanctissimis Officiis alacrius obeundis, ei denique, quo sumus a natura instituti, praecepto colendi Deum implendo consecravit.

1. Hos ergo dies, quos arbitramur ex Parochis posse neminem ignorare, quum in Additionibus extent ultimae Synodi Dioecesanae, ordine diligenterque dispuncti, Dominica recurrente, Parochi a Sacris Canonibus (*e*) jubentur in Missa populo praenunciare sequenti hebdomade celebrandos, et in contravenientes a praedicta Synodo (*f*) poena est irrogata. Utrumque Nos, laudatas videlicet

(*a*) Ead. Sacr. Congreg. annuente Bened. XIII. 13. Apr. 1726.

(*b*) Ead. Sacr. Congreg. 29. Apr. 1716. Videatur etiam. form. Indulg. edit. Romae sub Clemente XI. ann. 1701

(*c*) Edit. 7. Mart. 1678.

(*d*) 19. Julii 1714. et 11. Mart. 1716. et 22. Dec. 1718. et 31. Jan. 1720. relat. in Bull. tom. 8. inter decreta praef. Sac. Congreg. sub Clem. XI.

(*e*) Can. 1. de cons. dist. 3. Conc. Tolosanens. ann. 1228. Can. *dies autem festivos.*

(*f*) Tit. 1. cap. 15. num. 4.

canonicas Constitutiones, et Synodalem sanctionem approbamus, et quatenus opus sit, innovamus.

2. Et quoniam praecipua festorum dierum colendorum ratio in eo sita est, ut gens Christiana sanctissimo atque admirabili Sacrificio novae Legis intersit; statuimus, ut a Parochis omnibus, vel ab aliis Sacerdotibus in eorum locum suffectis hora, quam populo duxerint commodiorem, diebus praedictis in propria Ecclesia Missae celebratio peragatur. Nec alio (*a*), Nobis insciis, ad Sacra facienda sub obtestatione divini Judicii, suspensionis a Divinis, aliisque pro modo culpae infligendis poenis se conferant; nisi forte populo prius admonito, ad Ecclesiam vel Oratorium intra Plebatus limites, flumine nullo interjecto (*b*), quod commodo ponte trajici non queat, nec ultra duo milliaria positum, ejusdem Ecclesiae vel Oratorii Titulari Festo, seu Dedicatione recurrente, ut cuique obvenit, servata inter ipsos vicissitudine, divertant; Natalis Domini, Paschae, Pentecostes, et Omnium Sanctorum festivitatibus ab hac alibi celebrandi permissione, semper exceptis.

3. Ne vero fidelis populus, cui festis diebus ab omni servili opere abstinendum est, otio, quod multam malitiam docuisse Scriptura testatur (*c*), atque adeo vetito legibus ludo, comessationibus, ebrietatibus, aut etiam magis illicitis oblectamentis indulgendi opportunitatem sibi, Diabolo suggerente, censeat oblatam (*d*), atque ita in destructionem fiat, quod Mater Ecclesia in aedificationem instituit; decernimus, praeter excelsam ac venerabilem Corporis Christi immolationem, et Christianorum dogmatum explicationem; iisdem diebus in singulis Parochiis alia quoque plebis captui accommodata pietatis opera exercenda, quibus illa detenta divertendi a malo, et faciendi bonum occasionem experiatur assiduam sibi non deesse. Interea Ludiones, Circulatores, Joculatores, aliique hujus generis Nebulones (*e*) praestigias suas inaniaque spectacula sub gravibus poenis exhibere non audeant, in ea propin-

(*a*) Concil. Provinc. Florent. ann 1573. rubr. 18. cap. 9.

(*b*) Concil. Provinc. Flor. ann. 1517. *De celebr. Miss.* cap. 6.

(*c*) Eccl. 33. 29.

(*d*) Lit. circ. jussu Clem. XI. sub die 16. Martii ann. 1703. in Bullar. continuat. part. 2. num. 2.

(*c*) Conc. Prov. Flor. ann. 1517. *De fest. obser.* cap. 3. Conc. Prov. Flor. ann. 1573. rubr. 11. cap. 1. Conc. Provinc. Med. 3. sub D. Carolo part. 1. *De fest. dier. cult.*

quitate ad Ecclesias (*a*), ex qua impediri, aut perturbari divina possint Officia.

4. Vetus ergo Sabbati in honorem Domini ab omni opere quiescentis instituta religio, nova lege in Dominicam diem, more Romano a media nocte praecedenti ad mediam partem sequentis noctis computandam, ea fere de caussa quod in ipsa, cum maxima quaedam inchoatae Creationis opera, tum praecipua Redemptionis mysteria peracta creduntur, tranſlata, et ad alias quoque celebriores anni Solemnitates extensa, ab omni servili opere vacandum esse nos monet; nisi aliud faciendum esse suadeant, aut necessitas, quae legi non subjacet (*b*), aut imminens rei cujuspiam incommodum non mediocre ex benigna piae Matris Ecclesiae indulgentia (*c*), aut humani victus ratio; ne vana religione decepti, Judaicam superstitionem aemulari quodammodo videamur.

5. Quoties igitur justa dispensandi caussa se obtulerit, Parochi non solum petenti cuique dispensationem benigne concedant, sed etiam publice praecepti vim ea vice remissam esse, ac deficere, populum, qui sacro prius interſuerit (*d*), commoneant.

6. Ceterum ubi nulla suberit caussa, nemo non dies Divino cultui deputatos sanctificare praesumat, seu res, quibus ad esum ac potum non utimur, vel quae mercaturae caussa non transmittuntur, ut infra, quum de nundinis agemus, apertius fiet, circumvectando, seu illas vendendo; qui secus fecerint duo scuta (*e*) pro prima vice, quinque pro secunda, decem vero pro tertia solvent Piis locis applicanda, et poenas etiam arbitrarias dabunt pro facultate jam antea Nobis concessa a Romano Pontifice (*f*).

7. Per haec tamen nullatenus prohibere intendimus, ut officinae illae, in quibus victualia, ut supra, aut medicinae comparantur, aliquantulum reclusae necessaria petentibus exhibeant; magna tamen cum cautela semper id fiat, nec nisi juxta loci consuetudinem; in Civitate vero, ut cuique obvenit, pro constituta a Praesidentibus magistratibus ordinis distributione.

(*a*) Lit. Circ. jussu Clemen. XI. sub 11. Jan 1719. et sub 4. ejusd. ann. 1721. in Bullar. contin part. 2.

(*b*) Cap. *Consilium. De observ. jejun.* cum concord.

(*c*) Cap. *Licet. De fer.*

(*d*) Concil. Rom. ann. 1725. tit. XI. cap. 2.

(*e*) Conc. Prov. Flor. ann. 1517. *De fest. dier. obser.* cap. 1.

(*f*) Pius V. Constit. *Cum primum*, edit. ann. 1566. §. 7.

8. Contractus omnes et Judicia (*a*), nisi pietate exigente aut necessitate, ut saepius in iis, quae ruri exercentur, Judiciis, solet accidere; solemnibus, de quibus loquimur, Feriis, instiui omnino prohibentur.

9. Nundinae, licet communis Juris dispositio (*b*) refragari videatur, quia tamen longissima sunt apud Nostrates introductae consuetudine ac confirmatae, nec nisi cum gravi populorum incommodo tollerentur, a Nobis reprobari non posse videntur.

10. Parochi (*c*) et Confessarii omnes tam saeculares, quam regulares Nobis pro modulo suo ad cultum festorum dierum promovendum comites sese adjungere non praetermittant. Ili quidem praecepti hujus contemptores graviter objurgando, poenisque severissimis afficiendo; illi vero sancitam a Nobis in hujus criminis reos ultionem populis exponendo, monendoque assidue quemcumque domui (*d*) Praepositum, ut sedulo animadvertat, ne famuli famulaeve ad illicita opera festis diebus vacent, ac multo minus ita delinquendi, dum eis nullum inter hebdomadam rebus curandis suis tempus destinatur, praebeat occasionem; utque demum caveat (quod gravissimum esset) ne praecepti violationem illis expresse praecipiat.

CAPUT X.

DE JEJUNIO.

Ad laetandum in laetitia gentis Domini Festorum dierum nomine jucundissimo nos quidem invitat saepenumero Ecclesia: ita tamen, ut, quum minime deceat jucunditates nos hic habere perpetuas, indumento laetitiae filiis suis interdum exutis, et cinere capita conspersis Jejunium praedicet, et flendi quodammodo tempus assignet.

1. Hos itaque dies (*e*) jejunio destinatos qua cibi moderatione, quove delectu exigere debeamus, qua etiam aetate illorum servan-

(*a*) Cap. ult. *De Fer*. Concil. Provinc. Flor. ann. 1573. rubr. 11. cap. 2.

(*b*) Cap. 1. eod. et cit. Piana Constit.

(*c*) Concil. Mediol 3. sub D. Carolo *De Parochis*.

(*d*) Catechism. Roman. part. 3. de 3. praecept. num. 25.

(*e*) Concil. Mogunt. ann. 1549. capit. 47.

dorum obligatio exoriatur, ne dum Pastoribus, sed et cuique de Grege notius existimamus, quam ut a Nobis sit edocendum praecipieudumque.

2. Illud Parochis injungendum, sicuti praesentis tenore Constitutionis injungimus, ut Dominico (*a*) quoque die in celeberrimo populi conventu sequentis hebdomadae jejunia praenunciare sub iisdem poenis, quae capite praecedenti, cum de festis diebus egimus indicandis, sancitae sunt, non omittant.

3. Confessarii vero omnes, quoscumque jejunium ciborum esu, quibus nefas est vesci contumaciter violantes, judicio nostro absolvendos meminerint reservari.

4. Quadragesimalis jejunii ipsius Christi Domini et Sanctorum Patrum abstinentia consecrati, ideoque summa observatione observandi (*b*), maxima Parochiae Campana horae fere dimidium personante, indicari placet exordium; quae simul ac conticescet, non solum convivia et comessationes, verum etiam choreas, lusus, ridicularia omnia, ac liberiora spectacula terminari mandamus; quantum enim nobis proderunt suscepta jejunia, si mens adhuc illicitis pergit voluptatibus sagiuari? Neque vero, ut Magnus Pontifex monuit, in sola abstinentia cibi stat nostri summa jejunii, aut fructuose corpori esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate revocetur (*c*).

5. Si quis autem salubri jussione contempta, eo procacitatis atque impudentiae processerit, ut in Feria quarta Ciuerum post ludicra in lucem producta, scenica ac scurrili veste nondum deposita, mortalitatis suae (immanis profecto discrepantia) admonendus ad altare non vereatur accedere, huic sacro cinere caput inspergi prohibemus, donec exutus indumenti genus plorantis Matris moestitiae minus accommodatum, eo cum habitu redeat ad Ecclesiam, qui non adeo a Novissimorum memoria abhorrere videatur.

6. Quia vero justa solet interdum relaxandi Quadragesimalis jejunii caussa suboriri; praeter consuetos ex nostra Metropolitana, Dominos Capitulares scilicet et Curatum, Parochos tam urbanos, quam rurales tali praeficimus dispensationi; hoc cum discrimine,

(*a*) Concil. Provinc. Mediol. 3. sub D. Carolo *De Parochis*.

(*b*) Can. *Quadragesima* de Cons. distinct. 5.

(*c*) Can. *Nihil*. Cau. *Jejunium* cit. distinct.

ut Parochi eos tantum, qui de grege eorum sunt, ceteri vero ex Ecclesia nostra quemcumque imbecillitate corporali, aut alia legitima caussa impeditum, jejunii lege solvere valeant.

7. Medici in hoc dispensandi negotio sese nullatenus ingerant, nisi ex adversae valetudinis caussa, eaque non simulata, aut prorsus ignota, ut nostris hisce temporibus fieri plerumque a nonnullis gravissime condolemus; sed quae, omni posthabita personarum acceptione, tali indulgentia ab illis digna credatur, probeque dignoscatur; aliter aeternae damnationis laqueo, non secus ac violati praecepti reos involvi se sciant.

8. Jejuniorum tempore, praecipue Quadragesimae, carnes in urbe et oppidis statutis in locis tantummodo venundentur, velo aliquo ante ipsas obducto (*a*); hospitibus autem nullibi apponantur (quod maxime observent caupones et popinarii) nisi prius ii super hoc sese legitima facultate munitos ostenderint.

9. Illud autem notatu non utique videtur indignum, quod quum jampridem Dominico die jejunium celebrari Sacri Canones (*b*) acerrime prohibuerint; Sanctorum vigiliae, quorum festivitates oportet secunda feria celebrari, in praecedenti sunt Sabbato jejunandae (*c*).

10. Quam jejunii anticipationem Romani Pontifices (*d*) ad illud etiam eventum produxerunt, quo Sacratissimi Corporis Christi Festum, in quo vere ad coenam nuptiarum Agni (*e*) vocati sumus, ideoque summa totius populi Christiani laetitia recolitur, in vigiliam inciderit S. Joannis Baptistae. Quod plane de commorantibus extra urbem intelligatur; siquidem intra Civitatem alia singulis annis antevertendi jejunium permissione, concedente Romano Pontifice fruimur, cujus tenorem, ut neminem lateat, subjicere visum est in Additionibus.

11. Festum quoque Nativitatis Dominicae ab abstinentia ciborum immune Honorio Papae III. placuit efficere, seu potius declarare (*f*); quamobrem si feria sexta, vel Sabbato venire contigerit, ubi nec votum jejunandi, nec regularis obstiterit observantia, car-

(*a*) Conc. Prov. Flor. ann. 1573. rubr. 42. cap. 2. et 3.

(*b*) Can. *Jejunium* et seq. de consecr. dist. 3

(*c*) Cap. 1. et 2. *De observ. jejun.*

(*d*) Leo X. in decret. apud Navarrum Man. cap. 2. num. 11. Urb. VIII. Const. *Cum evenire*, edit. ann. 1638.

(*e*) Apoc. 19. 9.

(*f*) Cap. ult. *De observ. jejun.*

nibus propter festi excellentiam vesci possumus, secundum consuetudinem Ecclesiae Generalis.

12. Tandem monemus in Vigilia Immaculatae Conceptionis Virginis Gloriosae, jejunium primitus ex voto introductum pestilentia depulsa, deinde vero consuetudine, Petrique Niccolini Decessoris nostri Constitutione (*a*) accedente confirmatum, in Civitate dumtaxat servandum esse ex praecepto.

CAPUT XI.

DE PIIS LEGATIS ADIMPLENDIS.

Quum Sacris Canonibus (*b*) Principum Constitutiones (*c*) in hoc imitari et adjuvare non dedignantibus cautum sit, ut in omnibus piis voluntatibus sit per Episcopos providendum, ut secundum defuncti voluntatem universa procedant; Nos easdem Canonicas jussiones eo, quo par est, exequi cupientes obsequio, quum praesertim in eo simus negotio, cui omnia jura eximie favere noscuntur, ad fraudes omnino tollendas, idque omne evitandum, quod fidelium voluntatibus exacte adimplendis impedimento esse posset, juxta Praedecessorum nostrorum iterata Decreta (*d*) statuimus, ut quicumque sive Notarius sive Notarii loco dispositiones hujusmodi favorem piae caussae respicientes conscribet, Testatore defuncto, vel celebrato contractu, Nos intra decem dies, necnon eos, quorum interest, de illis commonere (*e*), nisi res aut loci obstiterit consuetudo, non praetermittat. Si quae vero jam antea piae constitutae dispositiones effectum nondum sortitae sunt suum, iidem conscribentes (*f*), ubi id pro comperto habuerint, intra mensem ab impressa Synodo de illis certiores Nos faciant; inobedientibus in utroque eventu excommunicationis poenam et alias arbitrarias, elapsis temporibus constitutis, incurrendas comminamur.

(*a*) Synod. ann. 1645. tit. 2. cap. 21. § 4.

(*b*) Cap. *Tua nobis. De test.*

(*c*) Leg. *Nulli.* §. *Sin autem.* Cod. *De Episc. et Cler.*

(*d*) Synod. ann. 1710. cum aliis Synod. ab ea citatis hoc capit.

(*e*) Concil. Prov. Flor. ann. 1573. rubr. 54. cap. 1.

(*f*) Concil. Ravenn. 2. ann. 1311. cap. 31.

Digitized by Google

2. Praedicta vero Legata peculiari libro rite adnotare, eumque accuratissime custodire Cancellarii nostri munus esto; duobus solidis, quotiescumque in ea re adlaboraverit, a Legatariis illi persolutis (*a*).

3. Ne vero utilitatis obtentu aliquando graventur Ecclesiae, atque ita in illarum retorqueatur incommodum, quod in favorem est adinventum; nullus (*b*) Beneficii, aut Ecclesiae cujuslibet, etiamsi Capitulum fuerit Collegiatae, nullus Monasteriorum, Hospitalium, aliorumve Piorum quorumcumque locorum, quae Pastorali sollicitudini nostrae subjecta sunt, Rector, Custos, aut alio quovis nomine nuncupatus Superior aut administrator haereditates, legata, donationes, aut aliud quidpiam tam ex contractu, quam ex testamento, cui pium aliquod onus praecipue perpetuum annexum sit, Nobis inconsultis, capere, adire, aut alitercumque acceptare praesumat, nisi severam, arbitrio Nostro infligendam, subire velit ultionem.

4. Omnes insuper quaecumque in suis Ecclesiis, Beneficiis, Locisve piis onera vigent, in ipso bonorum inventario reponant, unaque cum ipso opportune ad Nos mittant, sub poena aureorum sex.

5. Rerum quoque beneficialium in curia Nostra Cancellarius, Beneficiorum omnium, quascumque deinceps erigi contigerit fundationes, exacte describat (*c*), earumque monumenta diligenter custodiat (*d*); negligens ab officio removeatur, Nostroque insuper subjaceat arbitrio.

6. Et ut salubris haec Constitutio uberrimo, quoad fieri potest, fructu non careat; Parochos omnes et Confessarios rogamus in Domino atque obtestamur, ut ipsam saepius in suis Concionibus palam annuncient (*e*), transgressores acriter increpent; accurateque pervigilent, ut quae in propriis Ecclesiis vel Oratoriis, aut Confraternitatibus intra Parochiae limites constitutis, ex piis Legatis descendentes obligationes, adesse noscuntur, fideliter exolvantur perficianturque; et si quem forte in iis adimplendis desidem aut con-

(*a*) Concil. Prov. Flor. ann. 1573. ubi supra cap. 2.

(*b*) Decret. Sacr. Congr. Conc. jussu Urb. VIII. 21. Jan. 1625. approbatum ab Innoc. XII. Const. *Nuper* edit. ann. 1697.

(*c*) Concil. Roman. sub Bened. XIII. tit. 12. cap. 2.

(*d*) Idem tit. eop. cap. 3.

(*e*) Concil. Aquen. ann. 1594. cap. 37.

tumacem repererint, ad Nostram quotannis una cum Parochialibus libris intra tempus Paschale, seu ante Majum exactum deferant Cancellariam; ad reparanda incommoda ac detrimenta, si quae forte exinde piae voluntati proveniant, ubi negligenter se gesserint, ipsimet condemnandi.

7. Ubi vero in Tabulario seu Cancellaria nostra eorumdem contumacium nota fuerit exhibita, ab ejus statim ministris ad Congregationem super satisfactione Missarum a Decessore nostro immediato morti jam proximo institutam (*a*), a Nobis vero promotam et confirmatam remittatur.

8. Cujus quidem Congregationis omnes ac singulos Deputatos, tam ex Dominis de Capitulo Ecclesiae Nostrae Metropolitanae, quam ex universo Clero hortamur in Domino Jesu atque obtestamur, ut Christianae religionis ac pietatis intuitu, et patrocinium eorum suscipiant, quorum nullus est memor amplius; quum jure optimo remedium et refrigerium expectent ex eo, quod pro suarum animarum salute legata ad pios usus reliquerunt (*b*); et sollicite ac paterna caritate consulant eorum conscientiae, qui aut solvere adhuc negligunt quovis praetextu legata pia, aut ea fraudant vel culpabiliter impugnant; quasi egentium necatores ob eam rem a sacris Canonibus appellati (*c*), propter quod venit ira Dei super eos (*d*). Immo vero praecipimus, ut omni posthabita personarum acceptione viriliter agant in re tanti ponderis; negligentiam objiciant delinquentibus, impios ac refractarios minis deterreant, arguant, obsecrent, increpent in omni patientia; et eam unumquemque corrigendi rationem adhibeant, quae magis accommodata et ad supplendam praeteriti temporis ignaviam futura sit, et ad eam penitus evitandam in posterum.

9. Praepositi vero examinandis et approbandis computationibus Officialium, qui res administrant Confraternitatum, Congregationum, aliorumque Piorum locorum, ad quos Pastoralis extenditur cura Nostra, non solum omnem sedulitatem adhibeant in iis dispungendis rationibus, quibus praeficientur in dies, quemadmodum

(*a*) Decret. Thomae Bonav. ex Comitibus Gherard. sub die 10. Sept. ann. 1721.

(*b*) Trident. sess. 25. cap. 4. De ref.

(*c*) Can. *Qui oblationes* et seq. 13. quaest. 2.

(*d*) Ephes. 5. 6.

factum esse cognovimus a Majoribus nostris (*a*); sed etiam animadvertant ne ratas habeant neve admittant inanes ac minime necessarias expensas, praesertim immodicas ab iis factas, qui quod venerabilibus locis relinquitur, pravae voluntatis studiis (*b*), in externo cultu in pompis vanitatibusque disperdunt. Ex quo fit, ut nihil facultatis deinde supersit ad onera Missarum implenda, aliaque opera pietatis exequenda per ultimas voluntates injuncta.

(*a*) Synod. ann. 1710. hic num. 8.

(*b*) Can. *Sacrilegium*. 17. quaest. 4.

Digitized by Google

TITULUS II.

DE SACRAMENTIS CUM IN GENERE, TUM IN SPECIE.

CAPUT I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Quum nil fere sit, quod adeo perspicue novi Testamenti Sacerdotes in altissimo dignitatis fastigio collocatos exhibeat, quam coelestis amplissimique Sacramentorum thesauri illis a Christo Domino concredita dispensatio: summa profecto enitendum est vi, ut in iisdem conficiendis ac ministrandis eximia undequaque integritas elucescat; ut gloriam a Domino, tamquam fideles mysteriorum Dei dispensatores (*a*) consequi mereantur.

1. Caveant igitur omnes Presbyteri, ne ad conficienda seu ministranda Sacramenta lethali culpa inquinati, nisi saltem contritionis actum prius elicuerint, accedant; dempta tamen celebratione Missarum, ut qui Divino praecepto, antequam de Pane edamus Angelico, et de Calice salutari bibamus, nisi necessitas urgeat, per Confessionem sacramentalem nos ipsos probare (*b*) jubemur. Talarem praeterea habitum ac ceteras vestes, et caeremonias ab Ecclesia praescriptas adhibeant; eaque omnia inviolabiliter servent, quae sunt in Rituali Romano constituta (*c*).

2. Si qui vero, quod scelestissimum esset, dona Dei pecunia elargiri, pretioque commutare non erubescerent, severissimam illis imminere denunciamus ultionem (*d*).

3. Et quoniam non solum in ministrandis, sed et in suscipiendis Sacramentis congrua quaedam necessaria est dispositio; Parochi partes sunto, ea, quae ad Sacramenta rite suscipienda conducunt,

(*a*) Cor. 1. 4. 1.
(*b*) Cor. 1. 11. 28.
(*c*) *De iis, quae in Sacrament. administr. gener. servanda sunt.*
(*d*) Tot. tit. *De Simon.* et novissimè Pius V. Constit. *Cum primum* edit. an. 1566. §. *Caveant.*

Digitized by Google

edocere (*a*); rudes ac pueros, praesertim de Sacramentis nunquam alias ab illis receptis, brevique recipiendis instruere (*b*); et ita demum cum unoquoque sive admittendo, sive rejiciendo, post adhibitam diligentiam se gerat, sicut in Domino viderit expedire. Quocumque autem modo notorie indignos Sacerdotali constantia repellant Parochi; memores nefas esse sanctum dare canibus, et mittere margaritas ante porcos (*c*).

4. Quia vero Sacramenta Servatoris nostri beneficio singulari, humano generi data sunt ad medelam; ibi se Parochi in illis exhibendis diligentiores ostendant, ubi praesentior medicinae necessitas (*d*). Quapropter aegrotos, eos praecipue quorum infirmitas judicatur ad mortem, ad quos Diabolus habens iram magnam descendere perhibetur (*e*), ipsi per se suosve Vicarios aut substitutos, sub arbitrii poena saepissime invisant, caelestibus hisce remediis opportune restaurent, et ad extremae colluctationis agonem, veluti inexpugnabili scuto communiant (*f*). Quod ut exactius praestare queant, ruri praesertim, inter Missarum solemnia festis diebus a populo petant (ad quod absque ulla tergiversatione obstrictos esse praecipimus) an aliquem domi adversa valetudine reliquerint laborantem, aut alias noverint quempiam de grege decumbere, infirmitate aliqua praepeditum.

5. In illis autem Ecclesiis, ubi plures alternis vicibus in animarum cura Parocho principali deserviunt, unusquisque peracta vice in ministerio succedentem commonefacere teneatur, quinam in Parochia aegro corpore sint, quam male habeant, quae denique infirmis ab illis fuerint exhibita Sacramenta.

CAPUT II.

DE BAPTISMO.

Vix efformata e latere Christi, quasi secundi Adae dormientis prodierat Ecclesia (*g*); quum subito ad eam irrigandam, ut

(*a*) Catech. Rom. part. 2. *de Sacram. in gen.* num. 1.

(*b*) Trid. sess. 24. cap. 7. De ref.

(*c*) Matth. 7. 6.

(*d*) Ritual Roman. *de visit. et cura infir.*

(*e*) Apoc. 12. 12.

(*f*) Ritual. Roman. paulo post in *Modo iuvandi morientes.*

(*g*) Eph. 5. 26. et seq.

Digitized by Google

quae coelesti Sponso non habens maculam aut rugam jungenda erat, ex intimo divini cordis Sacrario aqua mundissima effluxit. Hac igitur aqua praesignabatur Baptismus convenientissime, per quem anima nostra omni labe detersa Christo sponsatur in Fide (*a*); et in Dei viventis Ecclesiam, veluti per ostium quoddam (*b*) ingressa, facillimum ad cetera Sacramenta sibi parat accessum.

1. Quo major est itaque Sacramenti hujus utilitas atque amplitudo, eo diligentius Pastores invigilent, ut digne ac salubriter ministretur. Ea de re populum frequenter edoceri instantissime desideramus atque praecipimus, quaenam Baptismi materia, quaenam sit forma, qua ratione utraque simul debeat apponi atque exhiberi; quaeque in eo ministrando requiratur intentio; nihilque obesse substantiae Sacramenti infantem in baptismate vel ter vel semel immergere (*c*); ut in necessitate (*d*) cum forte Presbyteri aut quilibet ministrorum non inveniuntur, valeat unusquisque hominem in periculo constitutum lavacro regenerationis de peccato ad vitam, de culpa ad gratiam, de inquinamento ad sanctificationem, de terrenis ad coelestia transferre (*e*); servato dignitatis ordine, ut mulier, nisi aliud honestas suadeat, ultimo loco succedat (*f*). De his autem omnibus attentione quam maxima ac diligentia imbuant obstetrices; quod munus obire foeminis quibuscumque sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda inhibemus, nisi prius in Civitate a Vicario nostro Generali, ruri vero a proprio Parocho fuerint ad hoc approbatae.

2. Ne vero Sacramenti hujus divina Lege (*g*) et utroque Jure (*h*) reprobata iteratio contingat, aut necessitas omittatur; mandamus omnibus, qui baptizandi munere funguntur, ut quum delatus fuerit infans ad Ecclesiam (*i*) baptizandus, deferentes, quibus id notius esse credatur, interrogentur, fuerit ne ille domi baptizatus; et si pro certo confirment non fuisse baptizatum, adhibita for-

(*a*) Os. 2. 20.

(*b*) Concil. Flor. in *Instruct. Armen.* §. *Primum omnium.*

(*c*) Can. *De trina* de cons. dist. 4.

(*d*) Can. *In necessitate* cit. dist. Cap. 1. §. *Una vers. Sacramentum. De summ. Trinit. etc.*

(*e*) Can. *Per aquam* cit. dist.

(*f*) Can. *Super quibus.* 30. quaest. 3. Concil. Prov. Fl. an. 1573. rubr. 29. cap. 1.

(*g*) Ephes. 4. 5.

(*h*) Toto tit. Cod. *Ne Sacrum Baptism. iter.* can. *Non licet fieri* de cons. dist. 4. Cap. ult. *De Baptism. etc.*

(*i*) Concil. Prov. Flor. ann. 1573. cap. 2. hoc. tit.

ma Ecclesiae simpliciter ac sine ulla verborum conditione dicant: *Ego te baptizo etc.*; sin autem liquido constet puerum baptismum privatis in aedibus rite suscepisse, Sacerdos praemissis caeremoniis et aliis ritus circumstantiis, baptismi formam non dicat, sed proferat haec verba: *quia tu es baptizatus, ego te benedico in nomine Patris etc.* Quod si ita res dubia sit, ut vere nesciatur, an sit baptizatus; tunc minister praemissis ritibus ac caeremoniis juxta formam traditam ab Alexandro III. (*a*) proferat haec verba: *si baptizatus es, non te rebaptizo; sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris etc.*

3. Nomina, si cui forte pueris baptizandis placeat imponere gentilitia, quae sanctitatem minus sapere videantur, alia subjiciat religioni convenientia; et quum praecipue ad distinctionem personarum sint introducta, plures fratres iisdem, licet eorum aliquis rebus sit exemptus humanis, non appellet.

4. Nemini liceat, ut etiam in Concilio Viennensi a Clemente V. statutum est (*b*), quempiam intra domesticos parietes baptizare, nisi Regum vel Principum liberi extiterint, aut vera necessitas illud exposcat, sub poena suspensionis a divinis eo ipso incurrenda; sed natum infantem ii, quorum est ea cura, ad Ecclesiam, in qua sunt ad hoc Fontes specialiter deputati, intra triduum deferendum curent; si res ulterius differatur, sine facultate Nostra baptismus nemini ministretur (*c*).

5. Reminiscantur etiam Parochi eorum, quae de Patrinis in Sacro Tridentino Concilio (*d*) et in Rituali Romano statuta sunt; nec illos ad hujusmodi munus admittant, quibus est interdictum; si vero nullo laboraverint impedimento, eos admoneant, ut jocis omnibus nugisque semotis, pie ac religiose quid agant, attendant (*e*) intelligentes Christo filios spiritualiter generari, tenerique se pro suo susceptionis officio, eos Catholica Fide et probatis moribus instituere, si parentes id facere omiserint (*f*).

6. Peracto baptismo, aqua Sacramento adhibita non in ipsum fontem regerenda, sed in sacrarium demittenda est; et quidquid ad

(*a*) Cap. *De quibus* hoc tit.
(*b*) Clem. unic. eod.
(*c*) Concil. Prov. Med. 1° sub D. Carolo part. 2. *Quae pertinent ad Bapt. admin.*
(*d*) Sess. 24. cap. 2. de ref. matr.
(*e*) Idem Conc. Med. loco cit. §. *Deinde.*
(*f*) Can. *Eos omnia.* De consecr. dist. 4.

baptismi ministerium delatum est, candelae videlicet, sudariola, hisque similia, ut omnes abusus et superstitiones removeantur, penes Ministrum aut in Ecclesia, pro cujusque loci consuetudine relinquantur; et nulla mora interjecta, sub poena aureorum quinque, in libro ad hoc peculiariter destinato omnique diligentia custodito, baptizati ejusdemque parentum ac compatrum nomina et cognomina (*a*), et an ex legitimis nuptiis procreatus, quo die natus et baptizatus sit, ipsa baptizantis manu describatur, expressa etiam hora nativitatis; ut quandocumque opus fuerit gratis fideliterque de omnibus his testimonium reddere valeat; graviter puniendus, ubi sese fraudolenter gessisse deprehendatur. Moneant Parochi puerperas, ut quum primum post partum domo exierint, mox ad Ecclesiam Deo acturae gratias accedant, ubi benedictionem a Parocho suscipiant.

7. Fons baptismalis, et reliqua supellex ad id spectans mundissima conservetur; nec quidquam referatum extra baptismatis actum appareat (*b*), sed oleum sanctificationis, quod veteri Ecclesiae instituto fonti superinfunditur, nimio munditiae studio, ut fit a quibusdam, non abstergatur omnino (*c*).

8. Recurrente autem die, in quo sacrorum Fontium peragenda est benedictio (*d*) in memoriam pristini Ecclesiae instituti (*e*), Parochi omnes meminerint teneri se, nisi veniam a Nobis vel a Plebano impetraverint, sub poena sex aureorum ad matricem Ecclesiam convenire, et Missae sacraeque functioni interesse, nisi forte non una in eodem Plebatu baptismalis Ecclesia reperiretur; tunc enim Rector illius cum aliquot ejusdem Plebatus, de consensu Plebani, Parochis eligendis, in propria Ecclesia eamdem benedictionem perficiat.

(*a*) Trid. sess. et cap. cit. Conc. Prov. Flor. ann. 1573. cap. 3. hoc. tit.

(*b*) Concil. Avenionense ann. 1337. cap. 5.

(*c*) Can. *In Sabbato*. De Cons. dist. 4.

(*d*) Can. *Deinde*. §. *Consecratur*. Can. *Venit* seq. ead. dist.

(*e*) Can. *Non ratione* cum seq. cit. dist.

CAPUT III.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

Spiritus Sanctus, (*a*) qui super aquas baptismi salutifero descendit illapsu; in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum praestat ad gratiam. Omnes igitur fideles per manus impositionem inungentis Episcopi Spiritum Sanctum post baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur (*b*); quia cum Spiritus Sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam et constantiam dilatatur.

1. Parochi itaque hoc Sacramento diu post septennium carere neminem sinant; sed quum tempus cognoverint Nostrae visitationis adesse, aut festum Pentecostes adventare, ad susceptionem illius fideles excitent inflammentque.

2. Quos sciverint deliniendos, efficaciam Sacramenti hujus, quae sese ad Spiritus Sancti septiformem gratiam cum omni plenitudine sanctitatis et scientiae et virtutis latissime effundit (*c*), edoceant; praeterea quibus diebus, quo mentis affectu illud ad Nos recepturi debeant accedere, quid denique secum oporteat afferre, demonstrent.

3. Quae quidem omnia Parochi Civitatis, Dominica praecedente Confirmationem, inter Missarum solemnia poterunt annunciare; ceteri, statim post festum Dominicae Resurrectionis.

4. Statim ac delibuti sunt sacro Chrismate, nisi a Nobis specialiter dispensetur, mystico velamine caput contegantur ex antiqua Ecclesiae consuetudine (*d*). Post triduum vero se Parocho sistant, soluta ab eo combustaque, qua frontem circumligabantur, linea vitta (*e*), in peculiari libro inter Confirmatos recensendi; ut prohibita Sacramenti iteratio vitetur facilius.

5. Multa quoque super hac re paucis ab hinc annis in peculia-

(*a*) Can. *Spiritus Sanctus*. De cons. dist. 5.

(*b*) Can. 1. dist. cit. Catech. Rom. part. 2. *De Sacram. Confirm.* num. 5.

(*c*) Can. *Novissime* dist. cit.

(*d*) Can. *Post Baptismum*. De consecrat dist. 4.

(*e*) Concil. Provinc. Med. 1. sub D. Carolo part. 2. *Quae Pertinent. ad Sacr. Confir. adm.* §. ult.

Digitized by Google

ri quodam Edicto Nostro decrevimus, cujus tenorem exacte observandum praecipimus, et ad calcem remittimus inspiciendum.

CAPUT IV.

DE SS. EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

Sapientia, quae per Baptismum in anima regenerati aedificata sibi domo, in ea per Confirmationem excidit columnas septem (*a*), quae sunt Divini Spiritus septiformia Charismata; immolare victimas suas, miscere vinum et proponere mensam suam sub Eucharisticis speciebus, eidem non dedignatur peramantissime.

1. Hoc ergo Sacramentum, in quo Salvator noster discessurus de hoc mundo ad Patrem divitias divini sui erga homines amoris voluit effundere (*b*), et summa cum veneratione ac reverentia (*c*) a Sacerdotibus, quibus illius concredita est dispensatio, haberi convenit, et a ceteris Christianis eximia cordis munditie et caritate praecellentissima sumi par est.

2. Quidquid igitur Sacri Canones, et Praedecessores nostri tum in Provincialibus, tum in Dioecesanis Synodis statuerunt de eo custodiendo, approbamus obsequentissime et confirmamus; ut scilicet in Ecclesiis omnibus Collegiatis aliisque Curatis in Ara maxima (*d*), alioquin in proxima inferiori, ante quam sub juris et arbitrii poenis ardeat lucerna semper (*e*), collocetur, locoque custodiatur quam honoratissimo atque mundissimo (*f*), in aedicula nempe huic rei unice destinata (*g*), affabre perpolita, serico velo intus contecta, ac tali superne ornamento refulgente, ut ibi facile intuentes intelligant Regem Regum posuisse tabernaculum suum, ubi habitaret in hominibus usque ad consummationem saeculi. Praecipue vero Parochi animadvertant, ut venerabile Sacramentum in

(*a*) Prov. 9. 1. et 2.

(*b*) Trident. sess. 23. cap. 2. ex Joan. 13. 1.

(*c*) Catech. Rom. de Sacr. Euch. num. 1.

(*d*) Sacr. Episc. Congr. 6. Dec. 1594. apud Gav. verb. *Eucharistia* num. 4.

(*e*) Exod. 27. 20. Conc. Mechliniense ann. 1607. *De Sanct. Euch.* tit. 7. cap. 2.

(*f*) Cap. *Sane. De Celebr. Missar.*

(*g*) Sacr. Rit. Congr. 22. Febr. 1593. apud Gav. loc. cit. num. 9.

argentea, vel alterius metalli pyxide interius deaurata, vel ea deficiente, in Calice, substrato nitido corporali, ponatur; super patena vero ac longe minus in alio profano vasculo quantumvis pretioso, sub poena aureorum quinque, nulla unquam de causa recondi permittimus.

3. Insuper Eucharistia, aestate, decimo quoque die; hyeme vero, decimoquinto renovetur (*a*), eaque sub fideli custodia argenteis clavibus, vel saltem deauratis adhibitis conservetur (*b*) quae semper apud Parochos ipsos, eorumve fungentes vice, aut Oeconomum remaneant, Ecclesia vacante. Contrafacientes, etiamsi Regulares fuerint, gravibus poenis subjacebunt infligendis, juxta praescriptum Nobis tenorem a Sacra Episcoporum Congregatione jussu Innocentii XIII. (*c*).

4. Parum tamen esset Sanctissimum Christi Corpus tanta sedulitate, tantaque extrinsecus diligentia a Parocho custodiri, nisi ipse veluti fidelis servus et prudens (*d*), quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore, nosset etiam illud cautissime dispensare.

5. Caveat igitur ne Angelorum esca nutriat, quem ab epulis quotidianis nosse dijudicare Corpus Domini prudenter non credat, aut quem mensae Daemoniorum (*e*) participem esse publice constet.

6. Ea de re nullum regulariter ante decimum annum, (nisi forte in mortis articulo) nullum de vi ac ratione Sacramenti non diligenter instructum, ad sacram Synaxim admittat; et abea repellere non pertimescat quotquot in propatulo flagitiose se gerere, et in criminibus notorie versari cognoverit.

7. Armeni quoque ii solum ad Mensam Domini adhibeantur, quos per legitima documenta constiterit (*f*) Catholicam fidem professos esse.

8. Ceteros autem Christianos studeat Parochus pro viribus excitare, ut ad Dominicam coenam manducandam, etsi non quotidie,

(*a*) Innoc. IV. Const. *Sub Catholicae* edit. ann. 1254. §. *Sed Eucharistiam.* Clement. VIII. Const. *Sanctissimus* edit anu. 1595. §. *Sanctissimum.* Conc. Rothomag. ann. 1072. can. 6.

(*b*) Cap. 1. *De Cust. Euch.*

(*c*) Die 8. Jan. 1724.

(*d*) Matth. 24. 25.

(*e*) Cor. 1. 10. 2.

(*f*) Sacr. Rit. Congr. 25. Maii 1669. refert Synod. ann. 1710. in Addit. pag. 316.

Digitized by Google

nisi personae qualitatibus diligenter inspectis expedire crediderit (*a*), frequentèr tamen ea, qua decet, humilitàte àtque habitu corporis accedant, aut saltem in Pascha et Pentecoste et Natali Domini, juxta veterum Canonum constitutionem (*b*), atque etiam in festo Deiparae in Coelum Assumptae, nullatenus id praetermittant; qua sumpta, liquores in Calice consecrato vel alio vase ad Calicis formam confecto praebeantur nemini.

9. Meminerint ii, quorum interest, in media nocte Nativitatis Dominicae juxta toties repetitas Declarationes Sacrae Rituum Congregationis (*c*) post Missam decantatam neque permittendas esse successive alias duas Missas, neque Fidelibus Sacram Communionem poscentibus eam exhibendam.

10. Clericos vero, si quidem in Sacris Ordinibus sint constituti, omnibus iis, quae ex praecepto coluntur festivitatibus, reliquos tum prima qualibet mensis Dominica, tum celebrioribus anni festivitatibus pane de Coelo praestito recreari maxime consentaneum declaramus, et concupiscimus vehementissime.

11. Et quum Generalis Concilii Decreto celeberrimo (*d*) omnis utriusque sexus Fidelis ad esum veri et immaculati Agni, ad minus in Pascha, reverenter convenire jubeatur; nullus ab hujus observatione praecepti exemptum se putet, quin a proprio Sacerdote in propria Ecclesia, quacumque alia, etiam Metropolitana excepta (*e*), nisi Nostra, aut ejusdem Parochi in scriptis danda facultate accedente, ad illud compelli valeat implendum; Canonicis ultionibus a Nobis, ubi de ipsius contumacia certiores facti erimus, graviter puniendus.

12. Regulares etiam, qui alienos Parochianos ad Paschale Sacramentum admiserint, praeter alias Canonicas poenas (*f*), sex mensium suspensionem incurrere eo ipso se sciant (*g*).

(*a*) Sacr. Conc. Congr. in Decr. *De comm. quotid.* 12. Febr. 1679.

(*b*) Can. *Etsi*. Can. *Saeculares*. Can. *Omnis homo*. De Cons. dist. 2.

(*c*) Sacr. Rit. Congr. 7. Dec. 1641. 9. Aug. 1653. 20. Apr. 1665. apud Lantusc. in Theatr. Reg. verb. *Missa* num. 15. et apud Monacell. Form. legali pract. part. 2. tit. 15. form. 3. num. 16. et Sacr. Congr. Visit. 7. Decemb. 1602. ibid.

(*d*) Cap. *Omnis utriusq. de poenit. etc.*

(*e*) Sacr. Conc. Congr. 30 Jan. 1587. apud Gav. Verb. *Eucharistia* num. 31.

(*f*) Clemen. 1. *De privil. etc.* Provinc. Florent. ann. 1573. rubr. 31. cap. 6.

(*g*) Sacr. Rit. Congr. 20. Mart. 1638.

13. Quod si quem forte justa de caussa iis, quibus Eucharistiae sumendae concluditur obligatio, temporibus, extra Parochiae limites degere contingat (*a*), statim reversus aut eo se conferat ad satisfaciendum praecepto, aut de eo alibi impleto legitimam Parocho fidem exhibeat; aliter perinde ac in lege delinquens censebitur, et poenas luet.

14. Porro ut hominum perditorum malitiae ac tergiversationibus pro virili parte obviam eatur, consuetudinem illam, qua singulae singulis Parochianis, Paschali tempore appropinquante, schedulae dantur a Parochis, notis quibusdam opportune ac solerter conscriptae, in actu Paschalis Communionis restituendae, laudamus et approbamus, eamque in posterum retinendam statuimus ab omnibus indiscriminatim.

15. Et quum non minori praecepti hujus necessitate in mortis urgeamur articulo, Parochos omnes rogamus atque obsecramus in Domino, et severissimis etiam sub poenis omnino curare sancimus, ut quempiam de populo in vitae discrimine positum esse resciverint, coeleste Viaticum in decenti habitu (*b*) et eo, quo poterit majori cum pompae apparatu, suscipiendum, nunquam tamen adorandum (*c*) aut deosculandum, ad illum deferatur quamprimum, cujus sumptione, mente et spiritu renovatus infirmus, usque ad montem Dei valeat ambulare tutissimus.

16. Duae vero saltem sacrae Eucharistiae particulae reponantur in pyxide (*d*), ne populus rediens inani se vasculo venerabundus advolvat; nisi forte longitudo itineris, aut asperitas viarum, vel aeris intemperies excuset.

17. Ab omni praeterea in hac venerabili peragenda functione, orationum prolixitate et precum vernacula recitatione caveatur; sed praeter illas, quas ad hoc instituit Ecclesia, et brevissimam

apud Dian. Op. Coor. tom. 2. tract. 2. Resol. 20. num. ult.

(*a*) Conc. Prov. Med. 3 sub D. Carolo *De iis quae ad Sacram Euch. pertinent.* §. *Quicumque.*

(*b*) Cap. *Sane.* §. *Sacerdos. De celebr. Miss.*

(*c*) Sacr. Congr. 19. Nov. 1575. apud Barb. Apost. Decis. coll. 335. num. ult. et apud Nicol. lucubr. tom. 2. libr. 3. tit. 41. num. ult.

(*d*) Conc. Prov. Med. 1. sub D. Carolo part. 2. *Quae pertinent ad Sacram. Sanct. Euch.* §. ult. Concil. Sipont. ann. 1567. *De custodia et loco Euchar. et de modo deferendi.* Conc Mechliniense ann. 1607. *De Sanctiss. Euchar.* tit. 7. cap. 4.

aliquam, si Parocho videbitur, pro aegrotantis incolumitate, ac Indulgentiarum, quas Summi Pontifices (*a*) augustissimum Sacramentum ad infirmos delatum comitantibus concesserunt, perstrictam enunciationem, nihil recitetur omnino (*b*); ne forte populorum devotio, quorum pars maxima domesticarum rerum curis urgetur, taedio tandem affecta in eximio pietatis opere refrigescat.

18. Quicumque vero tam saecularis, quam regularis Sacerdos in publico privatoque Oratorio Eucharistiam ad infirmos ferendam asservaverit, aut eam in die Paschae ibidem populo distribuerit, praeter locale interdictum ipso facto incurrendum, arbitrarias poenas subito. Prudens autem Parochus nonnisi raro, opportunis circumstantiis inspectis e privato Oratorio sumat Viaticum aegroto ministrandum; deinde vero si tempus feret, expediens erit, ut ab Ecclesia Parochiali publice repetatur.

19. Sub interdicti quoque censura Eucharistiam adorandam sine expressa Nostra vel Vicarii Nostri Generalis facultate palam exponi vetamus. Si vero feria quinta, sexta, et Sabbato majoris hebdomadae sacrae functiones, quae fiunt mane, celebrabuntur, aut Christi Corpus augustissimum in monumento recondetur, alibi, quam in iis Ecclesiis, in quibus illud nunquam deficere consuevit (*c*), aut praeterquam in Oratoriis legitimo quoad hoc fruentibus privilegio, celebrans suspensioni, locus interdicto subjaceat ipso jure.

20. Ad inhibendum vero nostra non fertur intentio, ut in altari, dummodo ad breve tempus id fiat, sacra pyxis interdum collocetur; ubi videlicet aut tempestas coorta, aut imminens gravis alia necessitas opem a Deo instantius coegerit implorare.

21. Facultas solemniter exponendi Eucharistiam ad exorandam aegrotantium incolumitatem non detur, nisi ii sint, qui ceteros in Republica honore ac dignitate praecellunt (*d*).

22. Regularibus tamen in propriis Ecclesiis venerabile Sacramentum velo contectum in ipso tabernaculo adorandum proponere

(*a*) Innocent. XII. Const. *Debitum* edit. ann. 1695. in Bullar. continuar. part. 1. confir. Indulg. concess. ab Innoc. XI.

(*b*) Alex. VII. Const. *Piae sollecitudinis* edit. ann. 1657.

(*c*) Sacr. Rit. Congr. 18. Maii 1602. et alias apud Pillon. in Constit. et Decis. etc. n. 751.

(*d*) Sacr. Episc. Congr. 7. Sept. 1598. apud Gav. verb. *Eucharistia* num. 54.

Digitized by Google

semper permissum est (*a*), palam vero et solemniori cum pompa exponere tunc solum licet, cum publica a Nobis approbanda emerserit caussa (*b*).

23. Ceterum Orationem illam, quam dicunt quadraginta horarum (*c*) plenariae concessione Indulgentiae a Romanis Pontificibus Innocentio videlicet XI. ejusque Successoribus auctam ac locupletatam maxime commendamus, omnesque hortamur in Domino ad eam conservandam promovendamque certatim, tanquam hujus Urbis singulare praesidium, ac decus eximium; atque in ea peragenda omnem ritum a Praedecessoribus nostris, Petro Niccolino et Thoma ex Comitibus Gherardeschae (*d*) in peculiari quodam Edicto, ad normam praescriptumque Apostolicae Sedis, exacte adnotatum innovamus et confirmamus.

CAPUT V.

DE SACROSANCTO MISSÆ SACRIFICIO.

Magnum Eucharistiae Mysterium Agnorum veterum (*e*) Typos in se undequaque non expressisset impletos, nisi quod nobis datum est in edulium, institutum quoque fuisset in juge Sacrificium. Hinc Deus et Dominus noster in ultima coena, expleto Paschatis epulo, novi testamenti Sacerdos in aeternum effectus secundum ordinem Melchisedech, Corpus et Sanguinem suum sub speciebus panis et vini obtulit Deo Patri; quod et ab Apostolis, et ab eorum in Sacerdotio successoribus usque ad Mundi consummationem faciendum esse praecepit in sui memoriam.

1. Ut autem hoc sacrificii genus praecellentissimum pro rei dignitate ac majestate perageretur, ritus quosdam (*f*) preces ac caere-

(*a*) Sacr. Congr. 27. Maii 1603. rel. 2. Cynod. ann. 1710. in Addit pag. 494.

(*b*) Sacr. Rit. Congr. 26. Febr. 1628. apud Gav. loc. cit. num. 53.

(*c*) Vid. Const. Pii IV. *Divina disponente Clementia* edit. ann. 1560. et Const. Clem. VIII. *Graves* edit. ann. 1593.

(*d*) In Addit. Syn. huius hoc loco.

(*e*) Exod. 12. 3. et seq. et cap. 29 38.

(*f*) Can. *Ecclesiasticarum* 11. dist. Can. *Jacobus*. De Cons. dist. 1. Trid. Sess. 24. cap. 5.

Digitized by Google

monias nonnullas, tempore succedente divinitus instituta excogitavit Ecclesia, quas in ejus tractatione voluit observari, ac religiosissime custodiri. Ob eamque rem Sacerdotes omnes in id sibi noverint incumbendum esse vehementer, ut Romani Missalis Rubricas, in quibus hujusmodi caeremoniae accurate descriptae sunt, frequenter evolvant, sedulo addiscant, optimeque percalleant (*a*); ne cum totius Ordinis Sacerdotalis dedecore videantur ad tantum ministerium accedere, versarique in tam augustis functionibus suarum partium ignari.

2. Et licet haec novae Legis oblatio mundissima, nulla unquam indignitate, malitia offerentis nulla inquinetur: nihilominus tantam ac tam eximiam exigit puritatem et sanctimoniam, ut a nemine prorsus, qui, quantum humana sinit infirmitas, mundo corde non sit, offerri aut contrectari conveniat.

3. Ea de re, praeterquamquod unusquisque Sacerdos, qui lethali culpa (quod Deus avertat) se senserit inquinatum, ante divinum hoc Sacrificium Sacramentalis eget poenitentiae lavacro; Nos uti tam salutari remedio, saltem semel in hebdomada (*b*), ad abstergendum expiandumque quidquid fortasse pro humana imbecillitate piaculi ac macularum contractum sit in dies, decernimus esse maxime consentaneum.

4. Ne Sacerdos, postquam ad altare operaturus accesserit, vel inani taedio adstantes afficiat, vel adeo ex abrupto et immeditate Missam auspicetur, ut erroribus, quos improvisa legendo committit, populo divina mysteria contemptibilia reddat; praecipimus ut Missam privatim prius legat, suisque adnotet signis atque discriminet; Nobis interim quadraginta dierum Indulgentiam, quam olim Praedecessores nostri (*c*) voluerunt ea praestantes lucrari, approbantibus et confirmantibus.

5. Quod autem de Sacerdotibus recens ad Ordinem promotis salubriter statutum est, (*d*) ne videlicet Missarum Solemnia cele-

(*a*) Clemens XI. in liter. circul. sub die 16. Mart. 1703. num. 9. sub finem in Bullar. cont. part. 2.

(*b*) Conc. Prov. Flor. ann. 1517. *De poenit et rem.* cap. 7. Conc. Prov. Med. 1. sub. D. Carolo part. 2. *Quae pertinent ad celeb. Miss.* §. *Ut quo.* Conc. Sipontinum ann. 1567. *De divin. cult. et celebr. Miss.* Conc. Burdigalense ann. 1582. *De iis quae in Sacros. Miss. Sacrif. etc.* cap. 5.

(*c*) Conc. Prov. Flor. ann. 1517. *De Celebr. Miss. Annivers. etc.* cap. 2.

(*d*) Conc. Prov. Florent. ann. 1573. rubr. 18. cap. 11.

brent absque facultate a Nobis, seu Vicario Nostro Generali juxta Magistri Caeremoniarum, aut alterius ex infra deputandis relationem concedenda, ratum omnino firmumque permaneat; eos insuper Sacerdotes, Sacerdotis alterius probe informati ministerio in re divina peragenda eousque uti volumus, donec in eo satis appareant instructi; cuius quidem rei judicium adsistentis ejusdem curae conscientiaeque committimus.

6. Sacerdos omnibus paramentis indutus in Sacristia, aut ubi illa desit (*a*), in ipsa Ecclesia a cornu Evangelii, nunquam tamen ab ipso altari desumptis, ad celebrandum procedat oculis demissis, incessu gravi, erecto corpore (*b*) eique inter celebrandum unus saltem minister inserviat (*c*), Clericus quidem, si suppetat, qui composite omnia praestet juxta sacros Canones et Rubricas Missalis; sin minus, laicus ex magis peritis; eo tamen officio fungi vetitum est feminis quibuscumque (*d*).

7. Gravissime ferimus, quod ad nostras perlatum est aures, quosdam e Clero nostro adeo perturbate festinanterque Sacrosanctis operam dare Mysteriis, ut in adstantium animis pietatis ac devotionis loco, non modo admirationem, sed etiam scandalum creent; eaque de re, quum hujusmodi corruptelam, quantum in Domino possumus, velimus abolere, praecipimus omnibus Ecclesiarum Praepositis et Custodibus, ut hujus culpae reos post unam, aut alteram commonitionem, nisi resipuisse constiterit, ad Nos remediis usuros efficacioribus deferre non differant, rationem quoque Deo Nobisque, ubi in re tanti ponderis negligenter se gesserint, reddituri.

8. Peracta Missa, nullus ab Ecclesia praescriptas preces, nisi ad alia pietatis opera incumbendum sit statim, omittat in gratiarum actionem pro tanto sibi praestito beneficio.

9. Sacerdotes publice ac notorie criminosos (*e*), et Ecclesiasticis censuris obnoxios (*f*) prorsus indiguos esse, qui ad sanctum al-

(*a*) Sacr. Rit. Congr. 6. Mart. 1610. apud Gravanl. verb. *Protonotarius* num. 17.

(*b*) Rubr. Miss. *De rit. serv.* §. 2. num. 1.

(*c*) Conc. Mogunt. ann. 803. cap. 43. et Parisiense ann. 829. cap. 48.

(*d*) Cap. 1. *De Cohabit. Cleric. etc.* Innoc. IV. Const. *Sub Catholica* edit. anno 1254. §. 3. vers. *Mulieres autem.*

(*e*) Cap. *Omnipotens. De Accus.* Trid. sess. 22. in decret. *De observ. ec.*

(*f*) Tot. tit. *De Cleric. excomm. etc. ministr.* Cap. 1. §. ult. *De sent. et re jud.* in 6.

tare accedant, edicimus. Peregrinos autem vagosque, qui absque facultate Nostra in scriptis exhibenda celebrare quoquo modo praesumpserint, suspendimus eo ipso; et Sacristae tam saeculares, quam regulares (*a*), qui eos excipient ad celebrandum, poenis subjacebunt in novissima Synodo (*b*) constitutis.

10. Per haec tamen Parochis et Regularium Ecclesiarum Praepositis quibuscumque facultas non censeatur adempta, quin in propriis Ecclesiis Presbyteros ad hanc Metropolim recta contendentes admittere valeant; si tamen proprii Ordinarii, aut alterius ex vicinioribus commendatitias literas (*c*), quae suspicionem non pariant, exhibeant; nullaque Eleemosynae spe duci videantur.

11. Dioecesis quoque Nostrae loca contermina incolentes in finitimis Nostrae Ditionis Ecclesiis, ubi probe noscuntur, ad sacrificandum recipi non prohibemus, vestigiis insistentes Praedecessorum nostrorum. (*d*).

12. In altaribus nihil, quod ad Sacrificium necessario requiritur, desit; quin et ipsa supellex, ut cujusque Ecclesiae reditus patiuntur, esto decenter ornata, semper vero mundissima, ea praecipue, quae Christi Corpori et Sanguini continendo destinatur; quam enim absonum, quam indecorum est, mensam Domini sordibus iis respergi et contaminari (*e*), a quibus in epulis suis ingenuus quisque abhorreret! Quamobrem negligentibus comminamur severissimas poenas.

13. Calix cum Patena laevigatissima ex metalli genere ab Jure (*f*) permisso adhibeatur, ac deauretur sub poena trium aureorum. Conficientes vero in Calicibus adeo vetustate consumptis aut perforatis, ut Christi Domini Sanguis in illis tuto contineri non valeat, ad multam damnabimus aureorum decem.

14. Missae non nisi debitis horis (*g*) sub arbitrii poena cele-

(*a*) Sacr. Congr. Concil. 17. Aug. 1630. apud Barbos. in Collect. verb. *Sacerdos* et Sacr. Congr. Inq apud Nicolium in lucubrat. Canon. libr. 1. tit. 11. num. 15.

(*b*) Hic num. 4. et 1.

(*c*) Cap. *Tuae fraternitatis. De Cler. peregrinis.*

(*d*) Synod. ann. 1710. hic num. 6.

(*e*) Conc. Later. 4. decret. 17.

(*f*) Can. *Ut vasa* et seq. de Cons. dist. 1. Innoc. IV. cit. Const. sub Catholicae.

(*g*) Trid. sess. 22. in Decret. *De observ. etc.* Pius V. Const. *Sanctissimus* edit. ann. 1566.

brentur; in eisque distribuendis populi universi, non privati cujusquam ratio ducatur. Qui vero pluries, quam semel iu die, nisi in casibus Jure (*a*) permissis celebraverit, biennali suspensioni ipso jure incurrendae, et quinquennali triremium poenae obnoxius esto. Contra vero unumquemque Sacerdotem, ut ter saltem aut quater in anno (*b*), nisi aliunde saepius id facere teneatur, Sacrificium offerre non negligat, monemus atque praecipimus.

15. Ruri nullus Parochorum fiat congressus ad decantandas Missas, celebrandave Anniversaria pro fidelibus defunctis, a Passionis Dominica usque ad octavam Paschatis inclusive (*c*); ne quum summopere grex optat Pastoris operam et auxilium, incustoditum sese impastumque deseri conqueratur; contrafacientes aureis tribus multabimus, aliisque arbitrariis poenis afficiemus.

16. Onera Missarum a Fundatoribus imposita una cum conditionibus suis impleantur quam exactissime, ad normam reductionis a Nobis nuperrime constitutae, ex Pontificio Indulto huic etiam Dioecesi communicato. Ob eam rem diligenter observetur Edictum generale a Nobis editum super norma satisfaciendi Missarum obligationibus, praescribens formam retinendi in Sacristiis codices Missarum dictos *Vacchette*, quod etiam habetur per extensum in Additionibus. Si secus factum fuerit, Clerici beneficiati Beneficiorum suorum fructibus privabuntur; transgressores ceteros arbitraria animadversione coercebimus. Qui vero quotidie per se ipsum celebrare tenetur, ne dum sibi nimium indulget, pias Fidelium voluntates defraudet, Decretum Sacrae Congregationis (*d*) super hoc emanatum diligenter observet.

17. Huc etiam pertinet, ne privata quis auctoritate onera Missarum reducere, etiam sub praetextu imminutionis redituum, Apostolica Sede inconsulta praesumat; et ut nullus a Fidelibus eleemosynas Missarum acceptet, quibus saltem intra trimestre (*e*) se non satisfacturum praevideat, salvo semper elargientium arbitrio

(*a*) Cap. *Consuluisti. De celebr. Miss.*

(*b*) Conc. Tolet. ann. 1325. can. 8.

(*c*) Conc. Prov. Flor. ann. 1517. *De celebr. Miss.* cap. 5. et Prov. Florent. ann. 1571. rubr. 18. Cap. 8.

(*d*) Edit. 18. Sept. 1688. relat. a Synod. ann. 1710. in Addit.

(*e*) Sacr. Conc. Congr. super decret. *De celeb. Miss.* 21. Jun. 1625. ad decim. et undec. refert Synod. ann. 1710. in Addit. pag. 327.

Digitized by Google

et voluntate. Quod si quis forte intra praescripti temporis spatium assumptis oneribus correspondere non posse conspexerit, ea de re, sub interminatione divini judicii, certiores Nos fieri quamprimum curet.

18. Et ut omnis avaritiae suspicio ab Ecclesiae ministris penitus abstergatur (*a*), capsulas illas, quas mortuorum dicunt, ad eleemosynas captandas in Ecclesiis et Oratoriis quibuscumque, si quae sunt adhuc appositae vel circumferuntur, contra Praedecessorum Nostrorum Constitutiones, statim amoveri praecipimus; contrafacientes arbitrio Nostro obnoxios fore sancimus.

19. De collectis vero auctoritate Nostra eleemosynis, quoties celebrandae sint Missae, julius unus dumtaxat celebrantibus erogetur: festis autem vel ex praecepto vel ex devotione diebus, usque ad libram unam, et solemnioribus etiam ad duos julios, eadem possit extendi elargitio.

CAPUT VI.

DE POENITENTIAE SACRAMENTO.

Ut animam esurientem satiaret bonis, multiplices de Coelo Dominus paravit mysticos panes, quorum dispensationem ministris Ecclesiae suae committi voluit; ut eos pro fidelis cujusque indigeutia frangerent opportune. Quum igitur horum nobilissimum et excellentissimum eo cupientibus exsaturari, ut rite sumeretur, proposuerimus; ad alterum modo progredimur populo Nostro exhibendum, quem semel atque iterum panem lacrymarum appellat Psalmista (*b*)

1. Panis itaque lacrymarum Poenitentia est; cuius quum saepe quamplurimi propter humanam imbecillitatem indigeant, praecipimus Parochis, ut non solum dispositionem Generalis Concilii (*c*), quo sancitum est, ut omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis venerit, omnia sua solus peccata, saltem semel in anno, confiteatur proprio Sacerdoti, populo revocent in memo-

(*a*) Trid. sess. 22. in decret. *De observ.*
(*b*) Psalm. 41. 4. et Psalm. 79. 6.
(*c*) Cap. *Omnis utriusque sexus. De poenit. etc.*

Digitized by Google

riam; sed etiam Sacramentali Confessionis frequentationem (*a*) usumque commendent; plebemque hortari non desinant, ut in celebrioribus saltem anni festivitatibus, Dominicae videlicet Nativitatis, Pentecostes, Beatissimae Virginis Assumptionis, et Omnium Sanctorum, a Diaboli laqueis, si quibus captivi tenentur (*b*), per hujus virtutem Sacramenti eximere sese curent, coelestique alimonia recreari.

2. Nullus autem sive saecularis sive regularis Sacerdos, nisi Parochialem Ecclesiam obtineat (*c*), Sacramenti hujus populo sese ministrum exhibeat, nisi a Nobis fuerit approbatus, neque deinde reprobatus ulla de caussa (aliter ipso facto incidat in excommunicationem); et tunc Paroeciarum limites, in quibus excipiendis Confessionibus a Nobis praepositus est, nullatenus praetergrediatur (*d*), etiam Parocho loci consentiente, sub poena facultatis a Nobis ipso jure revocatae. Parochi vero in tota Dioecesi, atque adeo in Civitate, conscio et annuente Ecclesiae Rectore, sacramentaliter absolvendi jus habeant, Metropolitana Nostra excepta; nisi forte ipsi (quod etiam de Confessariis quibuscumque in Congregatione aliqua Presbyterorum Civitatis adscitis intelligatur) divinorum Officiorum caussa eo collegialiter convenientes ad invicem confiteri voluerint.

3. Confessarii autem ceteri, quicumque sint (*e*), aegrotantes illos, quorum, dum essent incolumes, confessiones audire consueverant, ubique in Dioecesi valeant absolvere.

4. Ut autem tanti Majestas judicii loco habituque decentissimo, et quibus par est, adhibitis cautelis exerceatur, provida Praedecessorum nostrorum sollicitudo tribunalia quaedam, in quibus Sacerdos Judex assideat, quaeque jam per cousuetudinem ubique fere sunt introducta, descripsit; sanxitque, ut in poenitentiae ministerio superpelliceo, stola (*f*) proprioque pileolo Presbyter uteretur, et Metropolitanae nostrae Capitularibus habitum gestare propriae di-

(*a*) Conc. Sabinense in Hispan. ann. 1322. cap. 27. Conc. Prov. Flor. ann. 1517. *De poenit. et rem.* cap 5.

(*b*) Timoth. 2. 2. ult.

(*c*) Trid. sess. 23. cap. 15. De ref.

(*d*) Acta Eccles. Mediolan. *Instruct. Sacram. poenit.*

(*e*) Sacr. Episcop. Congr. 22. Jan. 1616. apud Barbos. in Collect. Bull. verb. *Curatus.*

(*f*) Conc. Aquense ann. 1585. cap. 11. Sacr. cougr. Episc. 8. Nov. 1588. apud Barbos. in Collect. Bullar. verb. *Confessarius.*

gnitatis indulsit. Nullus itaque sub arbitrii poenis regulariter extra praedictas sedes, descriptisque vestibus carens, populum sacramentaliter audiat; permittimus tamen, in magno populi concursu, alias etiam sedes ferrea ligneave crate utrinque munitas adhibere.

5. Sacerdos nisi ex caussa necessaria nullum, praesertim foeminas, ante solis ortum, vel post ejus occasum (*a*) ad Confessionem recipiat; ubi vero necessitate exigente aliter fieri contigerit, consuetudinem illorum laudamus et ubique servandam praecipimus, qui lumine aliquo e conspectu Sacerdotis admoto, tenebrarum incommodo consulere student, maresque a foeminis segregant.

6. Poenitentes interim vehementer hortamur et commonemus, ne tanta sese turba ad Sacrum tribunal urgeant, atque ita se invicem deculcent, ut jurgia et rixas excitent, quaeque a confitentibus secreto Sacerdotis aurium committuntur, ipsi percipiant.

7. Nihil inter confitendum a poenitentibus etiam sponte oblatum recipiatur (*b*) sub poena suspensionis ab hujus administratione Sacramenti ipso jure incurrendae die a transgressione sequenti, diesque triginta perduraturae. Excipimus tamen ea, quae forent ex debito justitiae restituenda (quod caute faciendum monemus) Missarum eleemosynas neque directe neque indirecte petitas aut intentas, sed sponte oblatas; eleemosynasque sponte itidem datas erogandas in pauperes, qui neque primo neque secundo consanguinitatis gradu Confessarium contingant. Nihil etiam e converso Confessarius poenitentibus largiatur.

8. Eorum criminum reos, quae vel supremo judicio suo Apostolica Sedes, vel nostro Nos reservanda censuimus, et quorum elenchum hic exhibemus, nullus saecularis vel regularis Sacerdos sine legitima facultate praesumat absolvere (c), praeterquam in mortis articulo (*d*). Quod si quis auctoritati Nostrae non deferens, in casus Nobis reservatos Jurisdictionem sibi arrogaverit, eo ipso anathemate feriatur, aliasque sustineat severissimas poenas.

9. Casus reservati in Dioecesi Florentina.

(*a*) Conc. Narbon. ann. 1609. cap. 16.

(*b*) Idem Conc. loc. cit. Conc. Prov. Flor. ann. 1517. *De Simon.* cap. 7. et Provinc. ann. 1573. rubr. 32. cap. 7. Act. Eccles. Mediolan. *Instruct. Sacram. Poenitentiae*

(*c*) Clement. 1. *De Privileg. et exces. privilegiat.*

(*d*) Conc. Trident. sess. 14. *De Poenit.* cap. 7.

I. Homicidium voluntarium, et oppressio seu suffocatio puerorum ob capsulam non adhibitam.

II. Nefaria consuetudine Deum, B. Virginem, vel Sanctos blasphemantes.

III. Carnes feria sexta et Sabbato, easdemque et alios vetitos cibos Quadragesimae diebus, aliorumque jejuniorum ab Ecclesia indictorum absque facultate comedentes.

IV. Falsa juramenta in judicio proferentes, si in grave damnum proximi redundent.

V. Temeratores Monialium; et scribentes, mittentes, vel scienter portantes, seu consignantes Monialibus, vel puellis, aliisque mulieribus quocumque titulo intra claustra commorantibus literas inhonestas (et amatorias etiam praecise quoad Moniales) vel res, et actus inhonestos coram quibuscumque in Monasterio degentibus agentes; vel de inhonestis rebus, ipsis, vel coram ipsis colloquentes; et utriusque sexus personae euntes ad eas larvatae excommunicationem incurrant ipso facto Nobis reservatam.

VI. Conficientes ementita Patrimonia Clericis ordinandis excommunicationem incurrant ipso facto Nobis reservatam.

10. Nulla quoque sit absolutio complicis in re venerea, cujus materia absolute et in se actio indifferens non judicatur; sed per se in actum carnalem sive completum, sive incompletum prodit lethaliter malum.

11. Earum rerum ignari, quarum scientia omnino necessaria est ad salutem, breviter, si fieri potest, doceantur (*a*); sin minus absolutio differatur, donec se rursus opportune instructos exhibeant.

12. Et quamvis in satisfactionibus, quae Poenitentiae vocantur (*b*), imponendis, vetus Ecclesiae rigor nostris hisce temporibus non una de causa, maxima ex parte remissus elangueat (*c*): ardentissime tamen optamus, praecipimusque Confessariis omnibus, ut Canones poenitentiales, insigne primaevae pietatis ac disciplinae monumentum, cum multis in locis, tum praecipue in calce aurei Decretorum libri et Provincialis Synodi nostrae (*d*), necnon in Sacerdotali Romano (*e*) adnotatos, assidue attentoque animo evolvant;

(*a*) Decr. S. Congr. Conc. 19. Jan. 1619.

(*b*) Conc. Cabilon. ann. 663. cap. 8.

(*c*) Can. *Fraternitatis* dist. 34.

(*d*) Anni 1517.

(*e*) Part. 1. tract. 5. cap. 2.

ut si minus in quantitate, in qualitate saltem satisfactionis (*a*), quantum nostra fert aetas, ad eorum normam sese componere sciant, et impositae satisfactionis quandoque immerito redargutam severitatem, eorum comparatione in tuto valeant collocare.

13. Caveat autem omnino, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus peccatorem prodat Confessarius (*b*); eaque de re non mediocriter profuturum monemus, si satisfactionis onus injungere, verbaque absolutionis proferre submissa voce assuescat; ne forte ex imposita poenae gravitate, vel denegato interdum absolutionis beneficio, et in ejus locum benedictione suffecta, sagax circumstans statum poenitentis excipiat.

14. Postquam Sacerdos decumbentis cujuspiam exomologesim excepit, aegroti Parochum statim commonefaciat (*c*); et Medici non obliviscantur eorum, quae cum ingenti animarum profectu illis injunxit Ecclesia (*d*), quaeque se servaturos jurejurando palam professi sunt.

15. Quicumque vero ad infirmum Sacramentum hoc ministraturus accesserit, caveat omnino (*e*), ne ullam curet a confitente in proprium sui ipsius, vel Ecclesiae suae commodum decerni dispositionem; severe a Nobis, si secus fecerit, puniendus; quin et aegrotum de rebus suis favore piae causae disponere meditantem, ubi debitum pietatis officium aliud exposcere videatur, a proposito studeat revocare.

16. Volumus autem, ut, juxta laudabilem morem ab Archiepiscopo nostro Praedecessore immediato praescriptum, singulis sextis feriis post Vesperas, in nostro Archiepiscopali Palatio eorum habeatur examen (*f*), quos Ecclesiae necessitas poenitentiae ministros constitui postulaverit, suique Superioris secularis, vel regularis judicaverit attestatio eos esse dignos, quos tanto muneri praeficiamus. Approbati non ante demandatum sibi ministerium exer-

(*a*) Conc. Prov. Flor. ann. 1517. *De poenit. et rem.* cap. 2.

(*b*) Can. *Sacerdos*. De poenit. dist. 6. Cap. *Omnis utriusque sexus*. §. *Sacerdos*. *De poenit etc.*

(*c*) Sacr. Congr. Episc. apud Gav. verb. *Confessarius* num. 27.

(*d*) Cap. *Cum infirmitas*. *De poenit.* Pius V. Const. *Supra Gregem* edit. ann. 1566. Benedict. XIII. in appendic. ad Concil. Roman. num. 28.

(*e*) Concil. Cabilonense ann. 813. cap. 6.

(*f*) Synod. ann. 1710. tit. 2. cap. 6. num. 24.

ceant, quam per octo dies spiritualibus exercitiis vacaverint in consuetis locis ad ea quandocumque peragenda deputatis, in sacro videlicet Oratorii recessu Presbyterorum Congregationis S. Salvatoris, in aedibus Societatis Jesu, et Congregationis Missionis. Quae quidem spiritualia Exercitia Clementi XI. (*a*) placuit pro suo Apostolico zelo, a Confessariis quandoque iterari ad reparandum, ut ait, spiritum Ecclesiasticum, quum plane compertum sit de mundano pulvere quotidie religiosa etiam corda sordescere.

17. Ulterius, quum a via veritatis errantes in semitam rectam reducere, animarumque languoribus mederi volentem abundare oporteat pietatis ac doctrinae institutis; praecipimus Confessariis omnibus, ut aliquot de morali Theologia disserentes auctores retineant (*b*), eosdemque identidem versent, scientiam ab eo postulantes, qui dat omnibus affluenter; frequentissime vero ac peculiari sedulitate praecepta et documenta ad Parochos et Confessarios, quae tum in Additionibus Synodi hujus ad hunc locum, tum seorsum in pagina quadam distincta imprimi curabimus, perlegant.

CAPUT VII.

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS.

Quemadmodum ingredientibus in hanc, quae militat adhuc in terris, Ecclesiam, in eaque progredientibus immensam munificentiae suae largitatem instituendo Sacramenta, quorum vim usumque tradidimus, ostendere dignatus est Dominus: ita quoque digredientibus ab ea paravit opem efficacissimam; atque per Sacramentum Extremae Unctionis ad alteram, quae sursum est, Ecclesiam, viam expedictiorem et immediatum transitum praestitit.

1. Oleum ergo, quod novimus esse huius Sacramenti materiam, a Metropolitana nostra (*c*), quemadmodum observatum est hactenus, subjectis Ecclesiis per Dioecesim distribuatur, et ea, quam paucis ab hinc annis praescripsimus in hac facienda distributione,

(*a*) Lit. Circular. 1. Febr. 1710. in Bullar. contin. part. 2.

(*b*) Acta Eccles. Mediolan. *Instruct. ad. Confess.* §. 8.

(*c*) Can. *Presbyteri, qui.* De cons. dist. 4.

ratio servetur exacte. Plebani vero, aliique Matricium Ecclesiarum Rectores ceteris in suo quisque ambitu Parochis constitutis dispertiant; in eoque deferendo non alius ministerio et opera utantur, quam Clerici alicujus sacris Ordinibus insigniti; quemadmodum cautum esse constat a sacris Canonibus (*a*), nisi justa de caussa a Nobis contigerit super hoc dispensari. Vascula quoque pro eo asservando ex argento dumtaxat, aliove metalli genere ab Jure permisso confecta sunto, non retinenda nisi intra Ecclesiam, aut Sacristiam mundissimo in loco (*b*) in pariete effosso, sub fideli custodia.

2. Illud autem Parochos maxime curare mandamus, ut aegroto, dum integris adhuc est sensibus, Unctio ministretur Extrema (*c*); et in ea conferenda Superpellicco semper et Stola uti omnes praecipimus (*d*), Regularibus nedum exceptis quocumque praetextu. Cetera quoque in Rituali Romano praescripta satagant omnes accuratissime implere, pro modo culpae, si secus fecerint, arbitrio nostro puniendi.

CAPUT VIII.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Non mediocriter ineffabili Sacramentorum dignitati consultum voluit Deus noster, quum illorum dispensationi non quemque de populo, sed electas quasdam ex universo Christiano coetu personas, sibique peculiarius consecratas praeposuit. Nemo igitur dispensandorum Dei mysteriorum sibi sumat honorem, sed qui vocatus a Deo tamquam Aaron, sacrosancto Ordinis charactere praefulget.

1. Et quoniam ab Apostolo (*e*) jubemur non festinanter, sed magna cum cautela manus imponere in sacris Ordinationibus, quum prius necesse sit ad tantae dignitatis fastigium ascendere cupientium vota probare, quoque spiritu agatur quisque, dignoscere; Clerica-

(*a*) Can. *Omni tempore* cit. dist.

(*b*) Conc. Ravennat. 1311. can. 7.

(*c*) Conc, Prov, Med 1. sub D. Carolo part. 2. *Quae pertinent ad Sacram. extr. unct* et Conc. Burdigalense ann. 1582. hoc tit cap. 13.

(*d*) Idem Conc. Med. part. cit. *De iis quae ad Sacramentorum admin. generatim pertinent.* §. *Omnes vero.*

(*e*) Tim. 1. 5. 22.

lem vestem deinceps praesumat nullus induere (*a*) sine Nostra facultate ad calcem supplicis libelli, qui Nobis antea porrigendus est, exprimenda, iisque tantummodo concedenda, de quorum honesta vitae ratione, progressuque in studiis pro cujusque Nobis aetate constiterit.

2. Hanc deferendi Clericalem habitum facultatem edicimus nulli Nos quovis pacto concessuros, qui decimo tertio aetatis anno sit minor, nisi aliter faciendum esse justa caussa suadeat, vel exposcat (*b*); quemadmodum ex Instructione patebit novissime a Nobis confecta, rerum omnium ad hoc Sacri Ordinis caput pertinentium in Additionibus apponenda. Qui Nobis inconsultis se vestibus induerint ministrorum Christi quindecim aureis multentur, et ad Ordines suscipiendos reddantur inhabiles; crescente vero contumacia, Clericorum oneribus et poenis obnoxios fore sancimus.

3. Qui Clericali habitu rite decoratus sese laudabiliter gesserit, et fine querela verus Dei cultor extiterit, si adhuc per Ordinum gradus in Sanctuarium ingrediendi post duos annos (*c*) desiderio inardescat, ea de re Nobis supplicem libellum exhibeat, ad D. Congregationis Ordinandorum Secretarium remittendus, priusquam dies elapsus sit praefinitus in Edicto ante singulas Ordinationes, ut moris est, promulgando, omnibus iis documentis instructus, de quibus fit mentio in praefata Instructione pro singulis Ordinibus suscipiendis, cujus tenorem omnino firmamus, et quam volumus in posterum inviolabiliter observari.

4. Post habitam Congregationem voti compotem ex notula a D. Congregationis Secretario transmittenda ad Cancellarium Nostrum se factum esse cognoscens, die, quam praescribet Edictum peculiare, de quo supra, ad publicum se sistat examen, etiamsi regularis sit (*d*), in eoque tamquam aurum in fornace probatus, ac repertus Ordinibus recipiendis idoneus, spiritualibus Exercitiis juxta Constitutiones Apostolicas (*e*), si majoribus Ordinibus sit initiandus, ad loca consueta operam daturus accedat.

(*a*) Edict. Thomae Bonaventurae ex Comitibus Gherardeschae 20 Octob. 1706. ,u Addition. Synod. ann. 1710 pag. 458.

(*b*) Edict. Thomae Bonav. ex Comit. Gherardescae die prima Febr. 1717. ab Incarn.

(*c*) Edict. cit.

(*d*) Trid. sess. 23. cap. 12. De ref.

(*e*) Lit. Circular. Sacr. Episc. Congr. jussu Innoc. XI. in Addit. Synod. ann. 1710. pag. 404.

5. Clericis in minoribus tantum Ordinibus constitutis, nulloque beneficio gaudentibus Ecclesiastico, mandamus, ut Clericalem habitum et tonsuram jugiter deferentes Ecclesiae illi, cui fuerint addicti, opere et veritate deserviant; aliter privilegio Fori carere se noverint (*a*).

6. Ecclesia vero, in qua Clericis ministrandum est, in Urbe quidem earum sit una, in quibus divina frequenter officia celebrantur, ruri vero propria cujusque Clerici Parochia; quemadmodum fusius ex circularibus literis patet (*b*) Praedecessoris nostri Thomae Bonaventurae ex Comitibus Gherardeschae.

7. Quoniam vero, ut Nobis innotuit, nonnulli tum saeculares Clerici, tum regulares exorcizandi munus, Nobis penitus inconsultis, passim usurpant; et quod magis dolendum est, interdum adeo se gerunt incaute, ut dum eorum, quos credule nimis obsessos putant, corpora a Daemonis potestate in libertatem se dictitant asserturos, ipsi potius in tentationem incidant et in laqueum Diaboli (*c*); nullas praeterea ab Ecclesia praescriptas preces ac ritus (*d*) observent, sed alios pro libito adhibeant interserantque, non raro a Christiana pietate longe abhorrentes; Apostolica auctoritate (*e*) suffulti praecipimus, ut nemo deinceps ex saeculari vel regulari Clero (*f*) quacumque de caussa, quocumque titulo non modo post Exorcistatus Ordinem, sed etiam post Sacerdotium susceptum, Energumenis manus imponat, nisi ex iis fuerit, qui ad hoc munus a Nobis peculiariter electi (*g*) ac destinati ad calcem Synodi hujus in proprio regesto connumerantur. Contrafacientes eo ipso in excommunicationem incidant, et aliis subjaceant poenis; eorumque contumaciam ad Nos referre Parochorum loci sint partes.

8. Quicumque se noverint ad hoc munus in Urbe praestandum electos, semel in anno coram Nobis in Congregatione peculiari ea de caussa singulis vicibus indicenda de rebus gravioribus occurrentibus agent; Nobisque adjumento erunt opera et consilio, ut novos

(*a*) Concil. Trid sess. 24. cap 6. De ref. Rom. sub Bened. XIII. tit. 6. cap. 2.

(*b*) Sub die 1. Febr. 1717.

(*c*) Timoth. 1. 6. 9.

(*d*) Rit. Rom. *De exorcizandis obsessis.*

(*e*) Sacr. Congr. Inquisit. 21. Jun. 1710. refert Synod. ejusdem ann. in Addit. pag. 425.

(*f*) Conc. Provinc. Flor. ann. 1573. rubr. 7. cap. 3.

(*g*) Conc. Provinc. Mediol. 1. sub D. Carolo parte 2. *De Exorcista.* 1. *Is exorcimos.*

subinde in opus Ministerii hujus assumamus pro Dioecesi universa, si quem contigerit eo tempore laborantem impedimento suas partes explere non posse.

9. Tam in Beneficiis Ecclesiasticis, quam etiam in Patrimoniis Beneficii loco substituendis in titulum Sacrae Ordinationis, vetus Dioecesis nostrae servetur consuetudo, ut bona videlicet eis subjecta, ab eisque provenientia sint certa (*a*), annuos scutorum quinquaginta conficiant reditus (*b*), nullis oneribus sint obnoxia, nec alienentur a Clerico, nec eorum ad constituentem regressus permittatur etiam post congruum Beneficium obtentum, nisi Nobis consultis et annuentibus (*c*) sub poena suspensionis a Divinis Nobis reservatae ipso facto incurrendae. Quicumque vero ementita Patrimonia confecerint eo ipso excommunicationem Nobis reservatam, et Clerici conniventes in fraude, vel paciscentes de fructibus non exigendis suspensionem a Divinis ipso jure, nec non alias poenas, prout expedire ducemus, incursuros se sciant.

10. Decernente sacrosancta Synodo Tridentina (*d*), ut Patrimonio potientes ordinentur ii solum, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel utilitate Ecclesiarum suarum; ne contingat aetate nostra multiplicari gentem in Ecclesiastica Hierarchia, non vero magnificari laetitiam ex utilibus Operariis provenientem: nullum deinceps ex Clericis quidem ruralibus ad Sacros Ordines promovendum esse statuimus Patrimonii titulo, qui non fuerit approbatus in examine bis in anno designandis temporibus, et per Cancellarium nostrum ante significandis coram Nobis habendo, ut dignoscantur idonei. Clericorum vero urbanorum quantumlibet pingue Patrimonium non admittatur, nisi eorum qui aut in hoc Florentino, cui praesumus, Theologorum Collegio, aut in aliqua Academia Doctoratus lauream post publicum experimentum fuerint adepti (*e*), aut viginti saltem scutorum reditus, omnibus detractis expensis ex uno vel pluribus habeant Beneficiis: ut ex literis constat Thomae Bonaventurae Praedecessoris nostri ad D. Secretarium

(*a*) Sacr. Congreg. Concil. apud Barbos. in Collect. verb. *Patrimonium*.

(*b*) Eadem Sacr. Congreg. apud eumdem Barbos. loc. cit.

(*c*) Trid. sess. 21. cap. 21. De ref.

(*d*) Loc. cit.

(*e*) Cap. ult. *De Magistris etc.* Cap. *Cum ex eo. De elect. etc.* in 6.

Congregationis Ordinandorum (a): salvis Seminarii nostri privilegiis, de quibus inferius suo loco.

11. Praeterea teneatur Cancellarius Curiae Nostrae in actu conficiendi Instrumentum poenas commemorare Ordinando et Constituenti, quae, sese fraudulenter in eo negotio gerentibus impositae sunt; et deinde tam ipse Ordinandus, quam Constituens nullius fraudis aut collusionis se conscios esse, in ejus manibus jurantes affirment.

12. Quum vero saepe contingat, ut quis extra tempora ab Jure (b) statuta gradum facere ad Ordines meditetur; quodque unus et idem Clericus non uni tantum Episcopo pro suscipiendis Ordinibus censeatur esse subjectus; ea de caussa Apostolicas super utraque re novissime promulgatas Constitutiones (c) consulat unusquisque, ut valeat ad illarum se normam componere.

13. Animadvertant tamen Ordinandi, quod quandocumque ratione ac titulo Beneficii in aliena Dioecesi obtenti, cujus reditus ad congruam vitae substentationem per se sufficiunt detractis oneribus, permissum est Ordines ab Episcopo ejusdem Dioecesis suscipere; hujusmodi sufficientia praefinienda est (d) non juxta Synodalem taxam, sive morem pro iis, qui promovendi sunt ad sacros Ordines, in loco praedicti Beneficii vigentem (nisi continuam illud et praecisam residentiam requirat) sed juxta eam taxam, vel ea deficiente, juxta morem in alio vigentem loco Domicilii.

CAPUT IX.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Multiplicationis gratia electo in Fide populo per Matrimonii Sacramentum tribuitur, ejusque ope ac virtute novi subinde Sa-

(a) Sub die 9. April. ann. 1713

(b) Cap. 1. 2. et 3. *De Temp. ordinat. et qualit. ordinand.*

(c) Decret. Congr ab Innoc. XII. specialiter deputatae *Super moderamine Indultorum suscipiendi Ordines extra tempora ab jure statuta* 4. Decembr. 1693. in addit. Synod. ann. 1710. pag. 405. Idem Innoc. XII. Const. *Speculatores* edit. ann. 1694.

(d) Lit. Innoc. XIII. *Super Ecclesiastica disciplina in Regn. Hisp.* 13, Maii 1723. confirm. a Bened. XIII. Constit. *In supremo* edit. ann. 1725 ut in Append. Ad Concil. Roman. ann. 1725.

cramentorum omnium Receptores, sicut novellae Olivarum quotidie germinant in Ecclesia.

1. Sed quo latius patet hoc Sacramentum, eo majori cum reverentia tractandum est; quum plerumque in ejus susceptione animalis homo (*a*), non ea percipiat, quae sunt Spiritus Dei, sed cogitet tantum secundum carnem.

2. Matrimonium igitur de futuro, quod sponsalia vocamus, non sine magna cautela contrahatur; contractum sine Nostro decreto (*b*), etiamsi mutuus intercedat partium consensus, dissolvi prohibemus, imposita delinquentibus aureorum decem satisfactione.

3. Sponsis nullo modo permittimus sub eodem tecto cohabitare, propter scandala inde forsitan oritura (*c*). Colloquentibus autem ipsis, et inter se coram agentibus, aliquis semper ex sponsae propinquis intersit.

4. Legitima sponsorum aetate per Parochum explorata, et requisito consensu non solum a parentibus, sed etiam a sponsis ipsis, si justa suborta sit caussa dubitandi; denunciationes, quae Matrimonium antecedere debent (*d*) tribus ex praecepto festis diebus continuis (*e*) inter Missarum solemnia, ad quae frequentior populus convenire solet ab utriusque sponsi Parocho fiant (*f*) sub poena aureorum quatuor. Quod si eadem tertiae denunciationis die matrimonium sit celebrandum (*g*), quod quidem (feria tertia ante Cineres, et Sabbato ante Dominicam primam Adventus exceptis) Nobis inconsultis fieri nefas est, ea de re in secunda denunciatione populus admoneatur; et bimestri post eas peractas elapso, nisi secus a Nobis statutum fuerit, denunciationes iterum repetantur. (*h*)

5. Oblata denunciationum promulgandarum opportunitate, dirimentia matrimonium impedimenta rui praesertim recensenda esse statuimus; et conscios impedimentorum, eaque intra octo dies Nobis, aut Parocho non detegentes, aut e converso impedimenta fi-

(*a*) Cor. 1. 2. 14

(*b*) Conc. Prov. Flor. ann. 1517. *De spons. et matr.* cap. 12.

(*c*) Trid. sess 24 cap. 1. De ref matr. Conc Prov. Flor ann. 1573 rubr. 35. cap. 6.

(*d*) Cap. *Cum inhibitio. De cland. desp.*

(*e*) Trid. sess. 24. cap. 1. De ref matr.

(*f*) Conc. Provinc. Flor. ann. 1573. rubr. 31 cap. 2.

(*g*) Conc. Prov. Med. 3 sub D. Carolo *De iis, quae ad matr. Sacram. pertinent.*

(*h*) Conc. Prov. Med. 5. sub D. Carolo part. 3 *Quae ad matr. pertinent.* §. *Matrimonii,* il secondo.

Digitized by Google

etitia fraudulenter opponentes, monendos acri se fore obnoxios ultioni; damnatis ulterius calumniatoribus ad aureos decem in sinus pauperum refundendos.

6. Parochi, statim ac impedimentum aliquod quomodocumque resciverint, Nos seu Vicarium nostrum consulere studeant (*a*), et super re proposita judicium praestolentur; interea vero ulterius progredi sibi non licere meminerint (*b*).

7. Nullus Parochus diversae Parochiae sponsos conjungat (*c*), nisi Parochi alterius de absolutis rite denunciationibus, suoque Parochiano in Christiana Fide satis instructo attestatione recepta.

8. De recta quoque contrahentium dispositione sollicite curet, ut scilicet Christianae Religionis Mysteria, et conjugalis status obligationes edocti, receptisque Poenitentiae et Eucharistiae Sacramentis (*d*) ad matrimonium accedant, cui quantum in illis est, ipsi per se Parochi in propria Ecclesia, nunquam in privatorum domibus (*e*), nisi annuentibus Nobis, intersint; nuptialem benedictionem rite impertiantur (*f*); si tamen uterque sponsus, aut saltem foemina, tum primum nubat (*g*); et hanc solemnitatem, aliasque matrimonii proprias Ecclesia statutis (*h*) feriis non interdicat.

9. Conjugum nomina, eorumque Patrum et Avorum, testium quoque et Sacerdotis illius, qui Sacramento interfuit peragendo, diem insuper et locum contracti matrimonii (*i*) in peculiari libro diligenter conscribi, et ad Curiam nostram quotannis transmitti mandamus. Matrimoniorum vero nota circa festum S. Joanuis Baptistae ad Tabularium nostrum in eo custodienda deferatur.

10. De Conjugiis autem exterorum et eorum, qui vagantur, et incertas habentes sedes (*k*), admonendi sunt Parochi, eisdem se praesentiam suam exhibere non posse, nisi re ad Nos antea delata, et facultate a Nobis obtenta, post testes in Curia nostra examinatos juxta Decretum et Instructionem Sanctae et universalis Inquisitionis (*l*); cujus tenorem in Additionibus exhibemus.

(*a*) Conc. Bituricense ann. 1286. can. *Capellani.*

(*b*) Cap. *Cum inhibitio. De cland. desp.*

(*c*) Conc. Prov. Med. 2. sub D. Carolo tit. 1. decret. 26.

(*d*) Trid. sess. 24. cap. 1. De ref. matr.

(*e*) Can. *Nostrates.* 30. quaest. 5.

(*f*) Can. 1. cit. causs. et quaest.

(*g*) Trid. loc. cit. Rom. *De sacram. matr.*

(*h*) Trid. loc. cit. cap. 10.

(*i*) Trid. sess. ead. cap. 1.

(*k*) Trid. sess. ead. cap. 6.

(*l*) Edit. 21. Aug. 1670.

11. Ceterum, qui matrimonii libertatem violare, et subditos suos vel alios quoscumque directe vel indirecte, quominus matrimonia libere contrahant, nefario ausu cogere praesumpscrint, ipso facto excommunicationis se poenam incurrere sciant. (*a*).

12. Ii etiam, qui sunt in gradibus consanguinitatis et affinitatis constitutione Canonica interdictis, aliique in jure Ecclesiastico (*b*) recensiti, si matrimonium scienter contrahere, posthabita inhibitione, attentaverint, anathematis vinculo subjiciuntur. Ceteros autem, qui contra Sacramenti hujus sanctitatem, quique in eo suscipiendo, aut illi adsistendo contra Ecclesiae praecepta deliquerint, gravissimae animadversioni obnoxios fore declaramus; mandantes Parochis, ceteroque fidelium populo, ut quos minus valide propter impedimentum conjunctos fuisse cognoscent, ad Nos deferre quamprimum non praetermittant. Nostri enim dumtaxat officii interest, quid in ea re facto opus sit, constituere (*c*).

13. Si qui vero inhibitione Nostra contempta, vel Parocho invito, aut neglectis Denunciationibus matrimonium inire non vereantur, aureis ducentis redimant culpam, et singuli Testes vicenis.

(*a*) Trid. sess. ead. cap. 9.

(*b*) Clem. unic. *De consang. et af-* [...]

(*c*) Cap. *Porro. De divors.* §. *Praeterea.*

TITULUS III.

DE SACROSANCTIS ECCLESIIS.

CAPUT I.

DE ECCLESIARUM IMMUNITATE.

Aulam Dei summi omnis expertem decet esse tumultus, unamque in ea Regis Regum elucescere majestatem. Hinc etiam seculi Potestates Ecclesiarum immunitatem consultissimis legibus (*a*) asseruerunt et confirmarunt exemplo; quas inter omnes praecipuo quodam jure semper enituit enitebitque Principum Etruscorum Regalis Pietas.

1. Ne vero, dum providissima jura Templorum decus augere contendunt, quieti publicae et Civium securitati grave vulnus infligant; suprema, qua pollent Romani Pontifices auctoritate, immanióra quaedam scelera nominatim expressa ab Ecclesiarum gremio repelli, et foras projici omnino jusserunt (*b*); quorum jussibus omnes Ecclesiarum Custodes ėt alios, ad quos pertinebit, obsecuturos esse filiali obedientia non dubitamus.

2. Et quod ad ea pertinet loca, quae licet divino cultui dicata non sint, et religiosa dici non possint: Juris tamen beneficio (*c*) ad Ecclesias proxime accedere, et ad se confugientibus ara salutis esse censentur: ea tantum spatia in hac Urbe immunitate gaudere declaramus, quae et cum Ecclesiis conjuncta sunt, et a publica via aliisque profanis locis uotabili signo discreta (*d*); servata de cetero

(*a*) Leg. *Fideli*, et seq. Cod. *De his qui ad Eccl. conf.*

(*b*) Cap. *Inter alia*. Cap. ult. *De Immunit. Eccles. Coem. etc.* Joann. XXII. Const. 1. edit. ann. 1316. Greg. XIV. Const. *Cum alias* edit. ann. 1591. Bened. XIII. Const. *Ex quo* edit. ann. 1725.

(*c*) Rubr. Tit. *De Imm. Eccl. Coem. et rerum ad eas pertinentium.* Leg. *Pateant* Cod. *De his qui ad Eccl. conf.*

(*d*) Conc. Prov. Flor. ann. 1517. cap. 2. hoc tit. et Conc. Prov. ann. 1573. cap. 3. eod.

quoad alias ruri constitutas Ecclesias, tam communis Juris (*a*) dispositione, quam laudabili consuetudine.

3. Domorum quoque adjacentium Ecclesiis immunitas facinorosis hominibus et obnoxiis aere alieno nullatenus suffragetur, nisi Clericis aut aliis religiosis personis (*b*) ejusdem Ecclesiae jugi servitio mancipatis perpetuo destinatae sint, et ab illis re ipsa inhabitentur.

4. Quae quidem domus Clericis praesidio non erunt, quominus peculiaribus quibusdam casibus ab Jure (*c*) permissis, contra eos procedamus.

CAPUT II.

DE REVERENTIA SACROSANCTIS ECCLESIIS EXHIBENDA.

Quum unaquaeque in terris Ecclesia Jerusalem illam novam descendentem de Coelo a Deo (*d*) paratam, sicut sponsam ornatam viro suo mirifice repraesentet, et Domini gloria impleta esse dicatur (*e*): cunctum ab ea foeditatis et immunditiae genus longe ablegari, omnique decore exornari, omni reverentia coli necesse est.

1. Centum itaque cubitis ab earum ingressibus, ducentis a sacris Monialium Coenobiis (*f*) foeminas omnes, quarum viae perversae sunt et infames gressus (*g*), arcemus; quibus aureorum quindecim solutionem imponimus, quoties minori intervallo prope ea loca domicilium habere constiterit. Quod si praedictae mulieres, licet in Catalogo Magistratus Honestatis non recensitae ad Ecclesias, vel alia loca, ad quae peculiariter vetitus est illis accessus (*h*) sese conferre non erubuerint, aureos quinquaginta pro prima vice, pro se-

(*a*) Can. *Diffinivit*. 17. quaest. 3. Can. *Sicut antiquitus* ead. causs. quaest. 4.

(*b*) Can. *Quisquis* causs. et quaest. cit. juncta Glossa ibi verb. *Domos*.

(*c*) Sacr. Congr. Immunit. In Interamn. 27. Mart. 1640. et alias apud Monacell. Form. legali pract. part. 1. tit. 6. form. 8. num. 2.

(*d*) Apoc. 21. 2.

(*e*) Reg. 3. 8. 11.

(*f*) Conc. Med. Prov. 1. sub. D. Carolo part. 2. *De Meretr. et Len.* §. *Curent*, et utrumque Prov. Flor. *De Imm. Eccl.*

(*g*) Prov. 2. 15.

(*h*) Edict. Leonis Strozza Archiep. Flor. 27. Aug. 1701. refert Synod. ann. 1710. in Addit. pag. 439.

cunda centum persolvant in subsidium Monialium Conversarum, tertia parte arbitrio Nostro reservata.

2. Contra vero nulla ex his feominis, quarum nomina infamis Catalogi labem non effugiunt, sub poenis alias inflictis exemptam se putet, quominus feria quinta infra hebdomadam Passionis ad Metropolitanam nostram accedat, ubi ad illas perorandi, etiam implorato brachii secularis auxilio, mos renovandus est intermissus. Eo vero hactenus dicta non spectant, ut perditarum genus mulierum Ecclesiae legibus sese solutum existimet; quin imo ad illas omnes inviolabiliter observandas validissimis remediis coactum iri se sciat: Parochorum interea conscientiis, ut in id solerter invigilent, oneratis.

3. Ceteras autem oves Pastorali curae Nostrae a Domino commendatas vehementissime hortamur obtestamurque per misericordiam Dei, atque adeo praecipimus efficacissime, ut in Domum Domini, viri semper aperto, mulieres velato capite (*a*), eóque omnes corporis habitu, eo vestimentorum genere ornatuque conveniant, in quibus interior mentis affectus et adorata terribilis loci maiestas elucescat; memores, si secus fecerint, indignationem Dei, quem zelus comedit domus suae, et sollicitudinem Nostram, cui debitus Sanctuario pavor (*b*) ac reverentia quammaxime cordi est, acerrimos pro suo quemque scelere se vindices habituros.

4. Quod si Clerici, quorum ea debet esse cura potissima, ut Tabernacula Domini virtutum populorum cultu ac devotione undequaque resplendeant, Ecclesiam Dei eo potissimum tempore, quo divina peraguntur Officia, importunis colloquiis contemnere vel de domesticis rebus agentes (ne quid deterius suspicemur) domum veluti negotiationis facere audeant, eo severiorem experientur ultionem (*c*), quo efficacius exemplo suo a Dei laudibus et sacrificio fideles retrahunt; quod in sacris dicitur Literis (*d*) peccatum grande nimis.

5. Ut autem in Templo Christianae Plebi, cui iam est humilis ac devotus paratus ingressus, quieta sit conversatio, mendicantes

(*a*) Cor. 1. 11. 4 et 5. Can. *Mulier* 23 quaest. 1.

(*b*) Lev. 26. 2.

(*c*) Clemens XI. in liter. circul sub die 26. Jul. 1701. in Bullar. cont. part. 2.

(*d*) Reg. 1. 2. 17.

Digitized by Google

omnes cuiuscumque generis sint, Apostolicis innixi Decretis (*a*) in eo circumire, et eleemosynam flagitare prohibemus: mandantes praeterea sub poenis Juris arbitriique Rectoribus atque Custodibus Ecclesiarum, ut in eis, si quando in Ecclesias irrepserint, expellendis omnem adhibeant sedulitatem: hortamurque Fideles, ut nullas ibidem pauperibus, nisi ad fores consistentibus eleemosynas largiantur, ut eo facilius Constitutio nostra suum sortiatur effectum.

6. Nullas triginta cubitos prope Ecclesiam nundinas seu mercatus, rerum venditiones nullas, quantumvis ad pietatem spectare videantur, institui volumus (*b*), indicta contrafacientibus quatuor aureorum satisfactione Christi pauperibus dispertiendorum: ac longe minus choreas, ludos, scenicas repraesentationes, aliasque huius generis nugas intra illud spatium exerceri, ex quo vel divinis Officiis impedimento vel perturbationi esse queant.

7. Ecclesias autem sive Parochiales sive simplices, sive principales aut alteri annexas, vel etiam Oratoria, etiamsi in eis divina Officia quacumque de caussa conticescerent, in profanos usus, veluti in horreum, cellam vinariam, foenile, aut simile quidquam converti omnino prohibemus (*c*); quartam rerum ibi reconditarum partem contrafacientibus amissuris. Quam poenam ii quoque minime evadent, qui Coemeteria, atria Ecclesiae vel Porticus quandoque in areas commutant.

8. Grammaticae quoque, vel literis humanioribus, aut cuicumque arti tradendae nemini in Templis operam dare permittimus; quemadmodum in eis quandocumque dormire, vel etiam, excepta quadraginta horarum oratione, immorari per noctem unicuique vetamus.

9. Altaria in Ecclesiis quibuscumque aut Oratoriis, nova non licet erigere, cujusvis Solemnitatis praetextu, nisi Nobis consultis et annuentibus (*d*).

10. Nullis in Ecclesias prospectus sive fenestras habere permis-

(*a*) Pius V. Const. *Cum primum* edit. ann. 1566. §. *Pauperes*. Clemens XI. in liter. circ. 26. Jul. 1701. num. 12. in Bull. cont. part. 2.

(*b*) Conc. Prov. Med. 1. sub. D. Carolo part. 2. *De Eccl. et earum cult* §. *Ne Clericus*. Conc. Prov. Flor. 1573. rub. 12. cap. 2.

(*c*) Sacr. Congr. Imm. 15. Jul. 1636. apud Monac. Form. leg. pract. part. 1. in Append. *De cult. et vener. Eccles.*

(*d*) Can. *Quamvis* dist. 68. Can. *Nullus*. De cons. dist. 1.

sum est (*a*), demptis Principibus et ejusdem Ecclesiae Rectoribus; quamobrem neminem hujusmodi privilegio Parochus uti sinat, et si qui sunt, qui eo se gaudere contendant, Nos ea de re quamprimum certiores faciat.

11. Constitutionem denique S. Pii V. Ecclesiarum decori ac venerationi impense consulentem (*b*), omnibus observandam in memoriam redigimus et inculcamus.

12. Coemeterii quoque ii, ad quos pertinet, curam assidue gerant (*c*), et ut nullis, quoad fieri potest, pateat injuriis, muro aliquo sive maceria, aliove repaguli genere circumsepiatur, nullaeque in eo quaestus gratia satae sint arbores; sed vivificae tantum Crucis erecto vexillo, loci religio sese statim offerat intuentibus.

CAPUT III.

DE ECCLESIIS REPARANDIS.

Ad augendam Christianae gentis pietatem, et cultum sacris Ædibus conciliandum Parochis assidue curandum est, ut in eis nihil sit coinquinatum aut abominationem faciens (*d*), sed earum constructio et exterior aspectus nitidissimus undequaque.

1. In iis vero necessario apparatu instruendis, et collabentibus reparandis, tertiam redituum suorum, quos ab eadem Ecclesia percipiunt, partem (dummodo unde congrue ali queant (*e*), supersit) jamdudum fuisse hypothecatam sciant (*f*); Nostrumque esse, si negligenter se gesserint, anno post monitionem elapso, eamdem fructuum portionem eo ipso reficiendae vel exornandae Ecclesiae destinare.

2. Quod si eo ventum sit negligentiae, ut Ædium restaurationi jam non pars tertia sufficiat, dimidium praedictorum fructuum, si

(*a*) Sacr. Episc. Cong. pluries apud Jacob. Pignattell Tom. 4. Consult. 129. a num. 3. usque ad num. 10.
(*b*) *Cum primum* edit. ann. 1566.
(*c*) Clem. 1. *De celebr. Miss. etc.*
(*d*) Apoc. 21, ult.
(*e*) Cap. *De his. De Eccl. aedif.*
(*f*) Conc. Prov. Flor. ann. 1517. hoc tit. cap. 1.

pingues fuerint, monitione et contumacia, ut superius, praecedente assignatum censeatur.

3. Quod ut facilius impleri possit, mandamus Parochis universis, ut intra congruum tempus ex rei gerendae qualitate metiendum, Nobis seu Vicario Nostro Generali attestationem exhibeant duorum Parochorum viciniorum et coementarii, si fuerit aedificandum, subscriptione corroboratam, qua se Decretis a Nobis, praesertim in Visitatione confectis, paruisse demonstrent; si partibus desint suis, plectendi ad arbitrium.

4. Successores etiam in Beneficiis, quoties acciderit, ut ab heredibus defuncti beneficiati pecuniam exigi jubeamus, ad reparandam ipsius decessoris incuriam, doceant quamprimum de instauratione ab eis solerter confecta; negligentes praeter acceptam pecuniam tantumdem persolvant.

5. Ubi vero in Ecclesiis, pro iis instaurandis distincta quaedam portio destinatur, eique administrandae nonnulli viri, quos dicimus *Operai*, praeficiuntur (*a*), eorum Nos curam et diligentiam enixe imploramus, quum certum sit totum in eos reparandi aedificii et suppellectilis reficiendae onus incumbere; nec nisi in subsidium conveniendos esse Rectores.

6. Si vero Ecclesiae alicujus adeo tenues sint reditus, ut vix ac ne vix quidem alendo Rectori sint satis, nec Tridentinae Synodi (*b*) remedia, nec alia quaecumque locum habere queant; Matrici, seu viciniori Parochiae omni adhibita providentia eam uniendam esse decernimus, populorum commodo unice consulentes. Cum iis vero, quae tanta egestate laborant, ut ob earum inopiam nequeant instaurari, ea praestabimus omnino, quae provide constituta sunt in sacris Canonibus. (*c*).

(*a*) Conc. Prov. Flor. ann. 1517. *De Eccl. rep.* cap. 1.

(*b*) Sess. 21. cap. 7. De ref.

(*c*) Trid. loc. cit.

CAPUT IV.

DE SACRIS ORATORIIS ET SACELLIS.

Ad Oratoria etiam, quae sacra sunt loca, et Divino ministerio deputata, Pastoralem extendimus curam.

1. Quum ergo non deceat publica Oratoria pro cujusque libito cum Parochialis Ecclesiae praejudicio, et populorum construi detrimento; nullus illorum aedificationem in Dioecesi aggrediatur in posterum, qui Nostra non sit auctoritate munitus (*a*).

2. Ea vero quicumque facultatem a Nobis constituendi obtinuerit, sacrosanctis non antea deputet ministeriis, quam sacra supellectili decenter fuerint instructa (*b*), jussuque Nostro eorumdem visitatione et benedictione peracta, divinis Officiis idonea constituta sint exercendis.

3. Parochi, Cappellaniarum seu Beneficiorum fundationibus assensum non praebeant, quae Missarum onera inducant, festis ex praecepto diebus in Oratoriis adimplenda. Si quae vero ita sunt constituta, nullus Sacerdos rem sacram facere ibidem praesumat, nisi privatim, nulloque dato campana signo (*c*), antequam prima saltem absoluta sit Missa in Ecclesia Parochiali (*d*); si secus factum fuerit Celebrantem bimestri suspensioni, Oratorium interdicto, et ejusdem Custodes et Dominos arbitrio Nostro obnoxios fore sancimus.

4. Quicumque ad Oratorium, praeter Parochum, incruenti Sacrificii mysterium peracturus accedit, nec festos in eo dies (*e*), nec jejunia praenunciare, nec rebus benedictiones impertiri, aut id genus alia peragere valeat, per quae Parochiale jus minui, aut laedi quoquo modo videatur.

(*a*) Cap. *Auctoritate. De privil. etc.* in 6.

(*b*) Conc. Gen. Nicaen. 2. can. 17.

(*c*) Cap. *Patentibus. De privilegiis etc.* Conc. Prov. Flor. ann. 1517. *De celebr. Miss.* cap. 9.

(*d*) Sacr. Episc. Congr. 14. Maii 1585. apud Gav. man. verb. *Missa* num. 20. Conc. Prov. Med. 1. sub D. Carolo part. 2. *Quae pertinent ad celebr. Miss.* §. *Nemini.*

(*e*) Sacr. Rit. Congr. apud Pascucc. in Compend. ad Consult. Canonic. Jac. Pignatell. part. 2 tit. *De Paroc h.*

5. Vagis Sacerdotibus quibuscumque, si pro Missarum celebratione eleemosynam postulaverint, testimoniales Nostras nolumus suffragari ad hoc, ut eos laici, qui hujusmodi Oratoriis custodiendis interdum praeficì solent, ad Altare permittant accedere, nisi easdem literas Nostras coram praefatis custodibus Parochus loci perlegerit, easque ita se habere animadverterit, ut videantur esse admittendi; aliter Oratorium ipso jure, Ecclesiastico subjaceat interdicto.

6. Neque vero in Oratoriis tam publicis, quam privatis quocumque indiscriminatim die (*a*) Sacrificium novae Legis offerre licet; nam feria quinta, sexta et Sabbato majoris hebdomadae (*b*), divinorum Officiorum et Missae prohibita est celebratio in publicis Oratoriis; in privatis praeterea celebrari Missa non potest (*c*) in Natali Domini, Epiphania, Paschate, Pentecoste, Annunciatione et Assumptione Deiparae; in festis denique sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum; nisi secus in Apostolicis literis expresse statutum sit.

CAPUT. V.

DE CONFRATERNITATIBUS LAICORUM, AC PRAESERTIM DE SOCIETATE SANCTISSIMI SACRAMENTI.

Laicorum Confraternitates, quibus Christiana pietas non exigua in dies suscipit incrementa, paterno prosequentes affectu (*d*), maxime concupiscimus, ne vana et inutilia conventicula fiant; sed ut in vinculo fraternae dilectionis, ea religionis opera ad quae unice instituendae sunt, sedulo exerceant.

1. Monemus ob eam rem nemini licere, nec etiam Regularibus in suis Claustris (salvis iis semper, quibus gaudent privilegiis) has

(*a*) Can. *Si quis etiam*. De conf. dist. 1.

(*b*) Edict. Card. Carpinei de mand. Clement. XI. sub die 15. Mart. 1712. in contin. Bullar. part. 2.

(*c*) Sacr. Congr. Conc. 15. Decembr. 1703. in Bullar. cont. part. 2.

(*d*) Can. *Quaecunque*. 10. quaest. 1. Cap. *De Xenodochiis*. *De Relig. dom.* Trid. sess. 22. cap. 8. De ref.

Confraternitates, Congregationes, Centurias, quomodocumque vocentur, erigere (*a*), quoties Apostolicae Sedis, et Nostra desit auctoritas; aliter constitutae vel in posterum constituendae, interdictae sint ipso jure.

2. Legitime erectae Confraternitates peculiaribus muniantur Constitutionibus (*b*), eaeque Nobis examinandae, corrigendae, atque adeo auctoritate Nostra donandae offerantur; quarum unum vel alterum caput singulis mensibus, in publico Societatis conventu legendum statuimus; et Codicem extra locum, quo convenire solent Confratres, quacumque de caussa extrahi vetamus.

3. Ad regimen Gongregationis Viri eligantur idonei, inter quos (*c*) in spiritualibus pertractandis negotiis non solum auctoritate, sed etiam prudentia et gravitate Corrector emineat, qui opus faciat Evangelistae (*d*), proponendo inculcandoque Regularum observantiam, quas Capitula vocant, curetque obsecrando arguendoque in omni patientia et doctrina, ut Confratres, quorum Custos positus est, ambulent in Lege Domini, eantque certatim de virtute in virtutem; scissuras esse inter eos non sinat, multo minus excitet ipse; alioquin a Nobis officio privandus, aliisque pro modo culpae plectendus poenis arbitrio Nostro.

4. Confratrum vero nemini liceat (*e*), ruri praesertim, eo inconsulto et longe minus invito, de rebus gravioribus agere, de quocumque expungendo ex Catalogo, de bonis ad longum tempus locandis, de insolitis decernendis expensis, sed consilium semper exquirant a Correctore. Quin etiam ad eum spectat ex eodem Plebatu Sacerdotes ad exequias, ceterasque sacras functiones quacumque occasione in sodalitio exercendas invitare; quo Correctoris munere fungi extra Civitatem et Castra Parochi sit, intra cujus limites sita est Confraternitas; nisi Constitutiones a Nobis approbatae disponant aliter.

5. Si aliquando unum ex hisce negotiis, aut aliud quodlibet non mediocre agendum foret, Officialium videlicet intempestiva remo-

(*a*) Clem. VIII. Const. *Quaecunque* edit. ann. 1604. §. 2.

(*b*) Cit. Const. §. 4

(*c*) Conc. Prov. Med. 6. sub D. Carolo etc. 2 *De statut. Confratiar* *Quae ad Confratrias, piave loca perti-*

(*d*) Timot. 2. 4. 5.

(*e*) Concil. Burdigal. ann. 1255. cap. 1.

tio, correctio veterum Legum et constitutio novarum, Confratrum ejectio, suscipienda peregrinatio, aut supplicatio ineunda; quidquid id est, ut ratum firmumque sit, in Generali convocatione constituatur; et nihilominus quidquid in ea decerni contigerit vim habeat nullam, antequam pondus Nostrae auctoritatis atque approbationis accesserit (a). Tunc autem Generalis convocatio legitime censeatur indicta, quum negotio, de quo deliberandum est, in publico prius Confraternitatis conventu proposito, assignataque certa die, qua post integrum saltem mensem expediendum est, omnes et singuli Confratres, in urbe quidem per famulum Societatis; extra urbem, praesertim intra duo milliaria, per Parochum ab altari inter Missarum solemnia invitati fuerint, atque certiores facti de re in individuo pertractanda.

6. Praeterea, ut certa lex statuatur pro extractis ad Officia quaecumque subeunda in Societate, aut ad alia emolumenta cujuscumque generis sint comparanda; utque omnis via praecludatur eos fraudulenter inhabiles declarandi, qui consnetas eleemosynas, quas taxas appellant, per ignorantiam, aut oblivionem non persolverunt; pacem super omnia diligentes, omnibus et singulis, quibus cura commissa est librum asservandi, cui titulus est *Lo Specchio*, in quo debitores et creditores connotantur, indicimus et mandamus, ut non solum in Congregatione eam praecedente, in qua juxta Constitutiones, aut consuetudines loci facienda est Officialium, aliorumque emolumentorum extractio, quoslibet debitores et debitae pecuniae quantitatem palam denuncient, eorum nomina publice recensita, ac singillatim descripta usque ad praestitutam ejus Congregationis diem affixa coram omnibus retinentes; verum etiam, ut quum dies destinata pervenerit rei peragendae, eadem nomina debitorum cum debitae summa pecuniae coram Confratribus ad eam rem peragendam coadunatis publice recitent; atque ita quisquis inter debitores relatus est, debitum quocumque modo contractum, de quo admonitus est, praevia queat numeratione dissolvere, seque ad obtinendum officium, aut emolumentum, siquidem extractus fuerit, idoneum reddere. Alioquin quicumque ille sit, super quem ceciderit sors, in-

(a) Cit. Conc. Burdigal. cap. 2. circa finem.

Digitized by Google

capax esto cujuslibet beneficii quacumque in posterum distinctione, aut exceptione sublata.

7. Haec autem omnia exacte a Nobis praescripta, locum habeant tum in Officiis assequendis, tum etiam in dotibus atque beneficiis, aliisque Societatis eleemosynis, quae aut ex vi Constitutionum, aut legitimae consuetudinis certis anni temporibus extrahuntur. Nolumus namque necessarias esse hujusmodi cautelas, quotiescumque aut alicui confratri aegrotanti erogandum est subsidium charitativum, aut alicui confratrum puellae quamprimum matrimonio jungendae, dos est assignanda, aut aliquid eorum faciendum, quae moram minime patiuntur.

8. Rerum temporalium in societate Administri, siquidem filii familias fuerint, praeter idoneum fidejussorem Patris indigeant assensu et obligatione; confectoque Repertorio quod vulgo *Inventarium* appellatur, propria, vel alterius manu (si prima scribendi elementa non norint) coram se, suoque rogatu subsignato, iis, quibus id muneris delatum est, et quorum seriem ad calcem Synodi recensemus statuto tempore rationes exhibeant (*a*) juxta tenorem Constitutionis editae a Thoma Bonaventura ex Comitibus Gherardeschae Praedecessore Nostro immediato (*b*).

9. Quaestor aerarii (nostratibus *Camarlingo*) sive Provisor, aliusve juxta laudabilem loci consuetudinem, libros rationum, cunctumque ad eas pertinentis scripturae genus retineant in armario; atque insuper in peculiari codice apud eos pariter asservando res gestas in Confraternitate, quarum memoria necessaria vel utilis fore videatur, fideliter diligenterque conscribant (*c*). Camerarius officium suum ultra annum ferme non gerat, et tamen si eo male functus inter reddendas rationes deprehendatur, aut statim in ipso actu pecuniam in proprios usus distractam restituat, aut munere, quod obibat, censeatur exutus.

10. Nemo Confratrum judiciali aliqua conveniatur actione, ut ea praestet, quae eleemosynae nomine in commune Societatis commodum pendi consueverunt; sed vel ad officia inhabilis reputetur, vel alia spiritali poena juxta laudabilem loci consuetudinem afficia-

(*a*) Trid. sess. 22. cap. 9. de reformat. Concil. Senon ann 1527. cap 30. §. finali.

(*b*) In Addit. Sinod. ann. 1710. pag 445.

(*c*) Idem Concil. Senon. ibidem.

tur. Illaesis permanentibus earum juribus Societatum, seu Collegiorum Artificum, quae Regiis sub auspiciis constituta suas habent leges peculiares.

11. Non liceat ulterius etiam sub inani lucrandarum Indulgentiarum praetextu quemquam post obitum in his Congregationibus adcenseri; non obedientes subjaceant poenis a Praedecessoribus nostris (*a*) impositis; gravioribus etiam arbitrio Nostro pro contumacia reservatis.

12. Sacrae Conciones in Oratoriis Societatum per Sacerdotes saeculares aut regulares, nonnisi eo tempore, quo Parochialis Ecclesia a divinis functionibus vacat (*b*), habeantur. Si quispiam Laicorum, sermonum quorumdam breviorum ad pietatem incitantium limites praetergrediens in suggestum ascenderit, et ministerium verbi usurpaverit; illius temeritatem (*c*), et loci interdicto et aliis ad arbitrium poenis compescere satagemus.

13. Confratres ea omnia curent, quae suis in locis (*d*) in Capitibus praecedentibus praescripta sunt.

14. Ubi ad alterius Ecclesiae vel Oratorii festivitatem accedendum sit, invitari Confratres sese nullatenus sinant; sed per se sponte, servata gravitate et ex ordine incedant; et (quod servandum est in omnibus processionibus) si minus queant ante meridiem, ut maxime optamus et quantum res patitur, inculcamus, saltem sub vesperam regredi omnino studeant, duobus tantum aut quatuor ad summum incensis funalibus (*e*).

15. Societas illa, quae ad funus interdum invitata procedet, ab erigendo vexillo inter efferendum cadaver abstineat; si qui tamen ruri Confratres in proprio Oratorio, quod longe distet ab Ecclesia Parochiali, saccis se induant; eant ad Parochiam erecta Cruce, deponant tamen in funere, eamque resumant, quum redierint sacra functione peracta.

(*a*) Synod. ann. 1710. tit. 3. hoc cap. num. 9.

(*b*) Concil. Provinc. Mediol. 5. sub. D. Carolo *Quae ad scholas, confratrias etc.*

(*c*) Synod. Quini-sext. Can. 64.

(*d*) Supra tit. 2. Cap. *De SS. Euchar. Sacram.* etc. Cap. *De sacris. Orator. et sac.* tit. eod.

(*e*) Concil. Provinc. Mediol. 6. sub. D. Carolo *Quae ad Confratr. piave loc. pertinent.* §. *Quae ad sancta.*

Digitized by Google

16. Non sine magno dolore percepimus, Confratres nonnullos etsi aedes ut plurimum habeant peculiares in Societate ad manducandum et bibendum destinatas, in Oratorium tamen aut Sacellum Societatis convenire in unum, atque in eo comessationibus indulgere. Hunc itaque abusum plane intolerabilem (*a*), ne mensa eorum in laqueum fiat illis et in scandalum, paterna cura vetamus (*b*).

17. Non inhibemus tamen hujusmodi, ut vocant, recreationes (*c*) communi expensa quandoque parari ad confovendam caritatem, dummodo extra Oratorium (*d*), exclusis semper mulieribus, et frugaliter fiant; sed quidquid ea occasione conferetur a singulis, apud eorum quempiam communi consensu electum seponatur (*e*), nunquam publicae sodalitii pecuniae admiscendum. Si secus fiat, Corrector et Officiales compescant inobedientes; de contumacibus vero certiores Nos faciant, interdicto aliisque poenis usuros efficacioribus.

18. Unam vero prae ceteris in singulis Parochiis Confraternitatem (*f*) aut nondum erectam institui, aut institutam certis regulis erectionem hujusmodi stabilentibus instrui vehementer optamus, ex qua gloria Regis nostri maxime pendet; eam scilicet, quam Sanctissimi nuncupant Sacramenti (*g*), cujus est delatum ad infirmos comitari Viaticum, et honore, quo potest maximo, prosequi (*h*).

19. Quare Innocentii XII. Edictum (*i*) per Eminentissimum Carpineum Vicarium, pro Urbe jam antea promulgatum, debita reverentia complectentes; et vestigia sectantes vigilantissimi Archiepiscopi Praedecessoris nostri immediati, qui ad normam in eo propositam voluit Florentinam Ecclesiam conformari (*k*); deside-

(*a*) Can *Non oportet* 4. cum tribus. seqq. dist 42.

(*b*) Sacr. Congr. pluries apud Nicol. in Flosc. verb. *Confraternitas* num. 13.

(*c*) Conc. Prov. Med. 1. sub D. Carolo part. 3. *De pior. loc. adm.* §. ult.

(*d*) Conc. Prov. Florent. ann. 1573. rubr. 51. cap. 3.

(*e*) Conc. Senon. ann. 1527. cap. 30.

(*f*) Conc. Prov. Florent. ann. 1573. rubr. 31. cap. 2.

(*g*) Paul. III. Const. *Dominus noster.* edit. ann. 1539.

(*h*) Sacr. Rit. Congr. 19. Jun. ann. 1655. apud Pascucc. in Compend. ad Consult. Pignatell. part. 2. tit. *De Praeced. etc. Praeemin.*

(*i*) Edit. 2. Febr. 1695. in Bull. cont. inter. Edict. etc. Decret. sub. Innoc. XII.

(*k*) Edict. sub die 4. Maii 1713.

Digitized by Google

ramus magnopere, ut, quotiescumque contigerit, quod tamquam Sponsus Dominus procedat de thalamo suo, et exultet ut Gigas per vias, pane vitae refecturus infirmos, ea functio splendide ac magnifice fiat, pro loci ac temporis conditione, magnoque cum comitatu; quum in multitudine populi dignitas Regis appareat, et in paucitate plebis ignominia Principis (*a*).

20. Et quoniam, ut in voce fatemur exultationis, nonnullis ab hinc annis corda fidelium nostrae Pastorali sollicitudini commissorum non mediocri pietatis affectu erga tam ineffabile Sacramentum exarseruut; ne forte paucorum ignavia, avaritia, aut quacumque alia culpa refrigescat communis ardor; et omnes Ecclesiae filios paterne invitamus, ut in circuitu sint salutaris Hostiae, quum ad aegrotos defertur, omnique ope contendant tam eximiae functionis decus provehere; et Parochis et Confratribus hujus Societatis, has peculiares leges ex libello Romae primum Summi Pontificis jussu, deinde Florentiae impresso depromptas, proponimus observandas.

21. Quidquid in tam pium opus contigerit a quibuscumque quovis modo erogari, tum festis diebus, cum publice pro cultu Sanctissimi Sacramenti fidelium pietas imploratur, tum occasione funerum, in quibus ad eas Societates auctoritate Nostra certa pecuniae pervenit summa, tum denique piis legatis ac donationibus; totum quodcumque illud est, prohibetur ad alium quemlibet usum quantumvis religiosum transferri, praeterquam ad ea unice comparanda, quae videbuntur ad pompam illius sacrae functionis pertinere.

22. Ut ea vero, quae a Nobis pro divinae Gloriae incremento disponuntur, suum facilius effectum consequantur; mandamus, ut quaecumque colligentur deinceps, praesertim quae in capsulis reperientur eorum, qui per vias circumeunt, et stipem ostiatim quaeritant (quae certe capsulae sunto semper occlusae) deductis prius Collectorum stipendiis consuetis, in arcam unam congerantur duabus diversis clavibus obseratam, quarum altera sit apud Parochum, etiamsi Corrector aliquando non sit, altera apud Gubernatorem seu Provisorem societatis (*b*).

23. Praeterea, ne ullus unquam fraudi sit locus, codicem unum accepti et expensi ab omnibus aliis Confraternitatis codicibus di-

(*a*) Prov. 14. 28.

(*b*) Cit. Edict. §. 3. num. 25.

stinctum fieri mandamus, semper in Parochialibus aedibus asservandum, manuque Gubernatoris aut Provisoris conscribendum; et in alteram ejus partem, quidquid acquiritur, exacte referri, in alteram vero quidquid expenditur (*a*).

24. Quotiescumque autem opus erit nonnihil parare, quod tam Parochus, quam Gubernator aut Provisor unanimi consensu necessarium esse duxerint pro cultu Sanctissimi Sacramenti, ad normam Edicti superius enunciati, suam uterque conferat clavim, et tantum pecuniae depromatur ex arca, quantum necesse est adamussim; et statim quid actum sit adnotetur in eo codice. Si vero in expensis faciendis inter Parochum et Ministrum Societatis non conveniat, ad Nos habeatur recursus (*b*), quidquid in Domino videbitur expedire, constituturos.

25. Ceterum confidimus certe futurum, ut semper in dies per totam hanc Dioecesim in associando Eucharistico pane populus Deo serviens, et numero et merito augeatur, praescriptis superius cautelis praesertim adhibitis. Nihilominus, si quando temporum culpa in remotioribus praecipue locis, tam praeclarum institutum elanguesceret, aut prorsus deficeret; eo saltem eventu saccos albi coloris quatuor Parochus habeat, quibus totidem honesti viri induantur, quoties cum Venerabili Eucharistia ad infirmos eundum est.

CAPUT VI.

DE REBUS ECCLESIAE TUENDIS AC REPARANDIS

Ea, quae ad beatissime Ecclesiae Jura pia fidelium largitione pertinent, tamquam ipsam sacrosanctam, et religiosam Ecclesiam, intacta convenit venerabiliter custodiri; ut sicut ipsa Religionis et Fidei Mater perpetua est, ita eius Patrimonium jugiter servetur illaesum (*c*).

1. Quapropter ne perditorum hominum sacrilega temeritate,

(*a*) Cit. Edict. §. 3. num. 30.

(*b*) Cit. Edict. §. 1. num. 11.

(*c*) Leg. *Jubemus*. §. *Scientes*. Dod. *De Sacros. Eccl. etc*, canonizzata in can. *Ea enim*. 10. quaest. 2.

vel ministrorum negligentia, aut facti vel juris inscitia, res Domino consecratas invadi, aut male dilabi contingat; praecipimus Parochis, ut tempore opportuno decreta Concilii Tridentini (*a*) ad hanc rem pertinentia populo palam annuncient; ut nulli liceat ignorare, quod omne quod Domino consecratur (*b*), sive animal fuerit, sive ager, vel quidquid semel fuerit consecratum, Sanctum Sanctorum Domino erit, et ad jus pertiuebit Sacerdotum; quique illud aufert, vastat, invadit, vel eripit usque ad emendationem, Ecclesiaeque satisfactionem, ut sacrilegus iudicatur, et Ecclesiastica districtione pro criminis qualitate coercetur.

2. Singulis deinde in Ecclesiis aliisque piis Locis, locus aliquis deputetur Tabularii seu Archivi instar (*c*), in quo rerum Repertoria seu Inventaria ab universis Rectoribus et Administratoribus quorumlibet Beneficiorum, Ecclesiarum, seu piorum Locorum, servata Juris forma, semper conficienda, necnon publica Instrumenta, monumentaque cetera diligenter serventur, Juris (*d*) et arbitrii poenas non obedientibus incursuris. Praeter Repertorium vero, ab unoquoque Rectore faciendum, in Tabulario, de quo pauloante, custodiendum accuratissime in aedibus parochialibus, aliud quoque ad ejus normam transcribendum est, atque intra duos menses post acceptam Ecclesiae Possessionem ad Cancellariam nostram inviolabiliter transmittendum.

3. Tabelliones seu Notarii (*e*) Instrumenta alienationis bonorum ad Ecclesias quocunque titulo pertinentium, seu quodlibet eo spectans scripturae genus conficientes; Christiaui omnes, quibus scripturae, quibus praedicta nota sunt Instrumenta, Ecclesiis et Locis piis eorum indigentibus in virtute sanctae obedientiae statim denuncient, vel exhibeant, vel legitimam non parendi caussam allegent; qui secus egerint, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, a qua nullus Presbiterorum sub poena suspensionis illos praesumat absolvere, donec jussiones Nostras, quautum in ipsis

(*a*) Sess. 22. cap. 11. De ref. et Sess. 25. cap. 12. De ref.

(*b*) Can. *Nulli.* 12. quaest. 2.

(*c*) Conc. Prov. Flor. ann. 1517. cap. 4. *De Imm. Eccl.*

(*d*) Synod. Flor. 1710, Cap. eod. §. 8. et 9.

(*e*) Auth. *De non alienandis etc.* §. *Ad hoc autem.* Synod. Prov. Flor. ann. 1573. rubr. 54. cap. 1.

Digitized by Google

erit, impleverint. Quin potius sanctionem hanc Nostram Parochi omnes saepius annuncient, ne quispiam delicto queat ignorantiam praetendere.

4. Porro Ecclesiasticarum rerum alienationem utrumque Jus (*a*) acerrime insectatur, et nullum fere est Canonicarum genus Constitutionum (*b*), quod ab ea non abhorreat quam maxime; eademque Canonica Jura (*c*) quid alienationis nomine intelligendum sit, aperte decernunt. Nullus ergo consultissimas sanctiones parvifacere audeat, nec unquam, nisi modo et casibus ab Jure (*d*) permissis, praedicta distrahat bona sive immobilia sint, sive mobilia pretiosa; quin etiam Rectoribus universis ipsam Ecclesiae, quaecunque illa sit, supellectilem Nobis inconsultis, sub poena aureorum decem alienare vetamus, eamque vetustate usuque detritam igne decernimus absumendam.

5. Bonorum ab Ecclesia conductorum pensiones praemature non exsolvantur, solutae cum successoris praejudicio irritae sunto (*e*); et Tridentini Concilii Constitutio (*f*) firma permaneat.

6. Eadem bona in Emphyteusim concessa ad caducitatem redacta, et a beneficiario acceptata, sub eumdem contractum nullatenus remittantur, nisi juxta normam Canonicarum Constitutionum (*g*); et morae purgandae bimestre beneficium, ab eo tantum tempore incipere censeatur, quo Beneficiarius caducitatem sese acacceptasse judicialiter intimaverit Emphyteutae.

7. Si quis Parochus sacras res loco pignoris dare, vel commodare praesumat, ad eas redimendas invitus primum subtractis Beneficii fructibus, deinde anathemate inflicto sese compulsum iri meminerit. Commodatarios vero praeter levissimam culpam, ut par est, casui etiam fortuito in poenam obnoxios esse, vetus Provincialis Sinodus nostra declaravit (*h*), et a creditoribus voluit ad

(*a*) Cit. Leg. *Jubemus*, et seqq. Cod. *De Sacros. Eccl. etc.*

(*b*) Causs. 12. quaest. 2. per tot. Tot. tit. *De reb. Eccl. non alien.* Extr. in 6: in Clem. et in Extrav.

(*c*) Cap. *Nulli. De reb. Eccl. non alien.* Extrav. *Ambitiosae* eod. tit.

(*d*) Can. *Placuit.* 12. quaest. 2. Gloss. in summ. eiusd. Causs. et quaest. Can. *Terrulas.* Causs. et quaest. cit. Cap. *Ex parte. De Feud.* Extrav. cit.

(*e*) Conc. Prov. Flor. ann. 1573. rubr. 44. cap. 3,

(*f*) Sess. 25. cap 11. De ref.

(*g*) Cap. *Potuit. De locat. et conduct.*

(*h*) Conc. Prov. Flor. ann. 1517. *De commod. etc.* cap. 1.

normam civilium legum (*a*) easdem res auferri, etiam non persoluto debito, omnique illius adempta spe persolvendi.

8. Ceterum, qui praedictas res in profanis usibus adhibendas concedere, vel eis abuti non erubuerint, poenas dabunt in novissima Synodo (*b*) constitutas.

9. In lignis autem caedendis, cujuscumque generis ea sint, Fdictum observetur exacte Petri Niccoliui Praedecessoris nostri, in eodem capite insertum ejusdem Synodi.

10. Et quia Ecclesiasticarum rerum indemnitati consulere maxima decet solertia, quoties earum imminet perdendarum discrimen praesentissimum, deficiente Custode vel Administratore; ob eam rem alicujus Ecclesiae Rectore graviter aegrotante, mandamus Sacerdoti, cui spiritalis cura commissa est decumbentis, ut heredes admoneat, et de excommunicatione latae sententiae (*c*) contra usurpatores rerum ad Ecclesiam pertinentium et de excommunicatione sententiae in eum ferendae, qui hujusmodi hereditatis expilatae perpetraverit crimen. Cujus rei Monitoria impetratis literis a Nobis per Oeconomum, ut ajunt, provisionalem ad ejusdem Parochiae valvas, nec non vicinioris Ecclesiae statim affigantur. Quibus poenis etiam opem ferentes volumus subjacere; et insuper si clerici sint, eos declaramus ad Beneficia et Ordines suscipiendos inabiles effici omnino; in sua semper firmitate manentibus ac mansuris omnibus poenis, quas in criminum hujusmodi reos tum sacri Canones, tum Beatissimus Pius Pontifex hujus nominis Quintus inflixit (*d*).

11. Quum Rector obierit, vacantis Ecclesiae res omnes, et peculiares defuncti Rectoris coram Testibus Parochianis in duplici mandamus Inventario diligenter describi (*e*), et utrumque ad Nos Sigillo obseratum transmitti; et praeterea si Ecclesiam ipsam, vel ejus quaelibet bona mobilia vel immobilia, post accuratam disquisitionem contigerit neglecta fuisse, et necessariis egere instauratio-

(*a*) Leg. *Sancimus* 21. Cod. *De Sacr. Eccl.*

(*b*) Tit. 3. Cap. 6. num. penult.

(*c*) Bulla Coenae Dom. cap. 17. Conc Prov Flor. ann. 1517. *De raptor.* cap. 2. §. *Declaravit.*

(*d*) Const. *Romani Pontificis* edit. ann. 1567. in ordin. 42.

(*e*) Benedict. XIII. in suo Concil. Roman. tit. 12. cap. 1. et 2. ex motu prop. Sixti V. sub die 29 April 1587. et Append eiusd. num. 10. extat methodus

nibus constiterit; de eorum statu certiores fieri volumus. Quae omnia a Plebano inviolabiliter praestanda statuimus et declaramus, in ejusque locum legitimo laborantis impedimento, vicinior Parochus suffectum se sciat; sin autem Plebanus ipse decesserit, Parocho, qui sit in Plebatu praecipuus, eoque impedito, Parocho viciniori hoc munus jam demandatum confirmamus.

12. Defuncti Parochi funus, quaeque colliguntur ex eo quaevis emolumenta ad eum decernimus Sacerdotem spectare, qui novissima aegritudine laboranti, Parochialia jura exercendo praesto fuit; ceterarum vero exequiarum in id temporis incidentium commoda ei adjudicamus, quem accepta (*a*) vacationis notitia Oeconomum constituerimus, ad eumque decernimus omnia pertinere, postquam literas a Nobis acceperit Oeconomici muneris ad normam sacrorum Canonum fideliter exercendi (*b*); jubemusque ut in Ecclesiae vacantis colonica, si necessarius sit Custos, nonnullus constituatur successoris expensis. Missarum pariter, quae festis diebus in Ecclesia vacante celebrandae sunt, stipendia quaecumque persolvere recens electi sit; demptis iis Missis, quas vel pro se celebravit Oeconomus, vel quarum eleemosynas recepit aliunde.

13. Interea vacante Ecclesia, ad quam praesentare Parochianorum est, mandamus Parocho, cui commissa fuit a Nobis Oeconomica administratio, ut tribus immediate sequentibus diebus festis, Instructionem adversus Simoniacos a Nobis sermone vernaculo confectam, positamque in Additionibus hujus Synodi, in ea Ecclesia, quae suo viduata est Parocho, publice legat, et post congruum tempus fidem ea de re Nobis exhibeat, duorum de populo testimonio roboratam; aliter suscepti Officii administratione inopinato privabitur sine spe veniae, Nostroque insuper arbitrio punietur.

14. Tollendis autem quaestionibus et dissidiis, quae possent heredem inter Beneficiati, et successorem in Beneficio super ipsius fructibus excitari, maxime intenti, duximus distinguendum, an naturales sint fructus et industriales, an vero civiles; et si quidem primi generis fuerint, soloque haereant adhuc, successori cedant; a solo autem separatos Beneficiati heres acquirito. Idemque Juris esto,

(*a*) Conc. Prov. Flor. ann. 1573. rub. 24. cap. unic.

(*b*) Cap. *Cum vos.* §. *Fraternitati. De off. Jud. ord.*

Digitized by Google

quoties locatis bonis, vel datis in Emphyteusim, cujus canon fructus adaequat, dies non veniat, neque in id incidat tempus, quo fructus colligi solent; quo fit, ut non ipsa solvendae pensioni praestituta dies adveniens, sed collectorum fructuum tempus ad canonem exigendum jus tribuat.

15. Secus autem in solutione canonis Emphyteutici faciendum est, qui proprie in Dominii recognitionem pendi consuevit; ad hunc enim adipiscendum statuimus dici solutionis dumtaxat habendam esse rationem. Sed ex civilibus fructibus ii solum ad heredem pertineant, qui tempori exacto, dum viveret Beneficiatus, respondent; ceteri omnes libere perveniant ad successorem.

16. Sed ne Successor in Beneficio congruis alimentis destituatur, quoties heres Beneficiati Ecclesiasticorum praediorum fructus perceperit universos; heredem praedictum teneri decernimus duo frumenti sextaria, et vini cadum unum singulis mensibus successori tribuere, usque ad novarum frugum pro varietate locorum collectionem; et tantum olei ad lampada concinnandam, quantum integro anno integri cadi mensuram coequet.

17. Heres in nullo prorsus queat eventu repetere sumptus, aut in laetamina factos, fecunditatis gratia agris Ecclesiae superinfundenda, aut in coementa ac cetera quaelibet rusticarum domorum et aedium Parochialium, atque adeo Ecclesiae ipsius usibus destinata; aut etiam quarumcumque segetum semina, sive jam terrae data, sive in horreis condita iis in locis, in quibus ea partim a Domino, partim a cultore conferri consueverunt. Ubi vero paleae, loci consuetudine inspecta, inter ceteros fructus connumerantur, atque ita aliquoties juxta regulam superius traditam heredi acquiruntur; in iis justo pretio comparandis successorem in Beneficio ceteris omnibus praeferri jubemus

18. Pecora, quae interdum inita societate Ecclesiae alicujus fundo addicuntur, Dominus ab eo removere non possit, nisi ante sex menses ea de re novum Rectorem commonefaciat: et novus itidem Rector, ubi ea de praediis Ecclesiae dimittere velit, voluntatem hanc suam ante totidem menses socio declaret. Quem tamen iis omnibus, quae sibi alioquin quacumque de caussa debita forent, plene volumus gaudere.

19. Sacra utensilia elapso anno, postquam confecta sunt, absque

ulla a Nobis facta declaratione ad quem ea pertineant, inter Ecclesiae bona decernimus esse connumeranda; ideoque nullum heredi sibi ea vindicandi quocumque praetextu jus esto.

20. Volumus etiam Parochiales aedes relinqui semper instructas ea supellectili quotidianis usibus accommodata, quam Thomas Bonaventura ex Comitibus Gherardeschae praescripsit (*a*) et Nos enunciamus in Additionibus; etsi constaret Decessorem non recepisse tantundem.

21. Ut autem haec ita constituta optatum sortiantur effectum, generalis Oeconomi nostri pro tempore existentis sollicitudinem ex debito Pastoralis officii oneramus, cujus in promovendis vacantium commodis Ecclesiarum auctoritatem firmamus; hac tamen cum restrictione, ut nihil in eis novi moliatur, quod undequaque necessarium non sit, seque ulterius differri sine gravi damno non sinat.

CAPUT VII.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

De gubernatione et privilegiis: aliisque diversis Capitulis, ad sanctissimas Ecclesias et alias venerabiles domos pertinentibus (*b*) jam quaedam disposuimus; eo nunc ad altiora progredientes contendimus, unde illis quamplurimum decus accedit, ad vitam scilicet Clericorum recte honesteque componendam, secularium praesertim, qui spectaculum facti sunt mundo, atque ita debent seipsos praebere omnibus in omnibus omni loco exemplum bonorum operum.

1. Nullus inter domesticos Dei per Clericatum relatus implicet se negotiis secularibus (*c*), sive ea publica sint, sive privata, ut ei placeat, cui se probavit; hinc tutelam, aut curam, nisi eas, quae descendunt ex legibus (*d*), aut miserabilium personarum, quae maxime Ecclesiastico indigent adminiculo (*e*), non suscipiat.

(*a*) Synod. ann. 1710. tit. 3. cap. 6. num. 30.

(*b*) Auth. *De SS. Episc.* in Propem.

(*c*) Tot. tit. *Ne Clerici, vel Monachi, etc.* et novissime Innocent. XI. Constit. *Creditae nobis* edit. ann. 1680. part. 1. *De Const. Cleric. secul.* num. 18.

(*d*) Auth. cit. §. *Deo amabiles.*

(*e*) Can. ult. dist. 86. Can. 1. et ult. dist. 88. Can. *Cyprianus.* 21. quaest. 3.

2. Quum constitutus sit in iis, quae sunt ad Deum, secularem Curiam sive advocaturus sive postulaturus (*a*), vel accusatoris (*b*) aut testis (*c*) officio functurus non intret; nisi quatenus sacris Canonibus non adversatur, aut necessitas poscit, venia tamen a Nobis semper petita et impetrata.

3. Contractus lucri gratia (*d*), et Oeconomicas quascumque Laicorum administrationes (*e*) etiam pietatis, aut quolibet alio praetextu non ineat, quem constituit Dominus super familiam suam; aliter poenas arbitrarias subibit alias irrogatas, quas innovamus.

4. Ad ancillandum Clericis, quos oportet irreprehensibiles esse, mulieres eligantur non minus annorum quadraginta jam peractorum (*f*), in operibus bonis testimonium habentes (*g*), nullamque occasionem dantes adversariis maledicti. Praeter has nullam ii domi retineant (*h*), quae arcto consanguinitatis vinculo illis conjuncta non sit; nullam praeterea in scientia quacumque erudiant vel arte (*i*), non permittentibus Nobis; transgressores multis per Praedecessores nostros (*k*) inflictis subjaceant. Qui vero cum foeminis etiam consanguineis, quae suspiciones non fugiant, vel cum perditis hominibus cohabitare aut conversari deprehendetur, in carcerem dabitur.

5. Ludos, qui virtutis caussa non fiunt, veluti alearum, taxillorum et hisce similes, in publicis vel privatis domibus vel locis ludere vel inspicere utroque Jure (*l*) vetitum est; et in ultima Dioecesana Synodo pecuniariae quaedam poenae in transgressores sancitae sunt; utrumque Nos relative et veneramur obsequio, et auctoritate firmamus.

(*a*) Can. *Nullus Clericus* 33. 11. quaest. 1.

(*b*) Can. *Sicut*. 2. quaest. 7.

(*c*) Can. *Testimonium*. 11. quaest. 1.

(*d*) Can. *Consequens est* dist. 88. cum concord.

(*e*) Conc. *Carthagin.* ann. 349. cap. 6.

(*f*) Timoth. 1. 5. 11. Can. penult dist. 81.

(*g*) Timoth. 1. 5. 10.

(*h*) Can. *His igitur* dist. 13. Can. *Interdixit.* dist. 32. Cap. *A nobis. De cohabit. Cler. et Mulier.*

(*i*) Conc. Prov. Med. 2. sub D. Carolo tit. 2. decret. 32.

(*k*) Synod. ann. 1710. hic. §. 14. et seqq.

(*l*) Leg. 1. et seq. ff. *De Aleae lusu etc.* Leg. ult. Cod. *De relig. et sumpt. fun. etc.* Synod. Quini-sext. can. 50. Cap. *Clerici officia* hoc tit.

6. Choreis (*a*) operam dare, turpia atque inhonesta concinere (*b*) genio indulgendi gratia, viros aut mulieres in domum vel alienam convocare vel propriam, eamve lusibus hujuscemodi spectaculisque exercendis commodare, Clericis quibuscumque inhibemus. Si qui non obtemperaverint, fuerintque sacris Ordinibus insigniti, aureos viginti quinque persolvant, et octos diebus a divinis suspensi sint eo ipso. Si vero praedictis oblectamentis praesentiam suam exhibuerint, aut ad ea tibiis fidibusque, aut quovis musico insonuerint instrumento, quindecim aureorum poenae, et arbitrio Nostro subjaceant. Ceteri Clerici, si lusibus his et seculi voluptatibus sese intermisceant, multeutur aureis sex.

7. Tabernas publicas (*c*), nisi eas peregre proficiscentes sobrie se refecturos ingredi oporteat, Comoedias inhonestas, Circulatorum praestigias, Clerici quicumque semper evitent; quam absonum quippe est, inquit magnus Episcopus Augustinus (*d*), modo ingredientem Ecclesiam orationes fundere, post modicum in spectaculis cum histrionibus impudice clamare?

8. Noctu post signum publicae armorum Campanae, nisi justa de caussa, domo non exeant, et exeuntes non ambulent in tenebris, sed lumen semitis suis semper adhibeat (*e*), nisi late splendeat Luna; non circumeant conjuncti psallentibus, non cantitent per vias, musica instrumenta non pulsant; longe minus in nocturnis concentibus se ammisceant, quos vulgo dicimus *Serenate e Cocchiate*.

9. Per decentiam quoque habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam Clericos oportet ostendere (*f*), et vestes proprio congruentes Ordini semper deferre. Comam igitur Clerici non nutriant (*g*) et eam longe minus (non mediocriter indolemus ad hasce Dioecesis nostrae opus esse descendere corruptelas) unguentis pulvereque, quem Cyprium adpellant, muliebriter inspergant; sed desuper caput juxta consuetudinem nostram in modum sphaerae radant (*h*), nec in aspectum proferre vereantur coronam, quam ex

(*a*) Conc. Prov. Flor. ann. 1517. *De vit. et mor. Cler.* cap. 18. §. *Item statuimus quod nullus.*

(*b*) Conc. Veneticum ann. 453. can. 11. Conc. Senon. ann. 1528. decret. mor. 25.

(*c*) Synod. Quini-sext. can. 24. et cit. Prov. Flor. loc. cit.

(*d*) Lib. 4. cap. 1. *De Symb. ad Cathec.*

(*e*) Conc. Prov. Med. 1. sub D. Carolo part. 2. *De Clerical. Aed.* §. ult.

(*f*) Trid. sess. 14. cap. 6. De ref.

(*g*) Cap. *Si quis ex Clericis* et seq. hoc tit.

(*h*) Can. *Psalmista* dist. 23.

Digitized by Google

institutione Romanae Ecclesiae in signum Regni, quod in Christo expectatur, accepere (*a*).

10. Vestes Clericorum omnium in hac Urbe degentium, eorum quoque, qui minoribus tantum Ordinibus (*b*), vel etiam prima tonsura initiati sunt, ad talos usque mundae modestaeque descendant (*c*), etiamsi Ecclesiae, cui destinati sunt, non deserviant; breviori autem indumento (quod semper infra genua productum sit, et a laicorum vestibus, cultu ornatuque superfluo rejecto, distinctum) nulli uti unquam liceat, nisi rus proficisci instanter parato, vel inde huc revertenti, aut pluvio Coelo. Et si quibus in scholis laudabilior vigeret consuetudo, salva et integra semper maneat.

11. Ruri, etsi Toga brevior modo delineata propter locorum incommoditatem permittitur: in celebrioribus tamen anni festivitatibus, praesertim in peragenda Sacratissimi Corporis Christi supplicatione, in solemnitatibus Patronorum Ecclesiae ipsius et Confraternitatis, talaris semper habitus a Parochis adhibeatur; eumque praeterea in Castris locisque insignioribus deferri mandamus a Clericis quibuscumqne inter functiones Ecclesiasticas, quaecumque eae sint, festis ex praecepto diebus publice peragendas. In Urbe praeterea nullus omnino Sacerdos, etsi hospes peregrinus aut advena sit, quocumque titulo praeditus, quocumque praetextu, sine talari veste, aut ad minimum non adhibito succinctorio Missam celebrare praesumat; aliter decem dierum suspensionem a divinis incurrat eo ipso Nobis reservatam (*d*). Si quis denique tam in Urbe, quam extra, diu noctuve in laicali processerit indumento, praeter alias canonicas animadversiones (*e*), carceris poenam ad quindecim dies sese noverit incursurum.

12. Annuli quoque usus interdicitur (*f*) Clericis, nisi quibus competit ex officio dignitatis (*g*); ab iis autem Sacrae Rituum Con-

(*a*) Can. *Duo sunt.* 12. quaest. 1.

(*b*) Conc. Prov. Flor. ann. 1517. *De vit. et mor. Cleric.* cap. 1. §. fin.

(*c*) Conc. Gen. Nicaen. 2. can. 16.

(*d*) Edict. Cardin. Carpinei de mand. Clementis XI. sub die 7. Decembr. 1706. citans alia sub. 29. Jun. 1667. 10. Octobr. 1681. 20, Novemb. 1691. 22. ejusd. 1696. et sub 31. Mart. 1699. iussu Clementis IX. Innoc. XI. et Innocent. XII. in Bullar. contin. par. 2.

(*e*) Can. *Sine ornatu.* 21. quaest. 4.

(*f*) Cap. *Clerici officia* hoc tit. Conc. Senon. ann. 1528. can. 24.

(*g*) Cit. Cap. *Clerici officia.*

gregationis decreta apud plerosque auctores (*a*) relata serventur omnino.

13. Clericorum arma, aliorumque Ministrorum Christi sunt Orationes et lacrymae (*b*), ut in tempore iracundiae sint apud Deum reconciliatio. Idcirco eis prohibemus arma cujusvis generis vel ad offensionem vel etiam ad defensionem deferre (*c*), aut apud se retinere quacumque de caussa, nisi facultatem a Nobis obtinuerint; et venationi sacro praesertim ordine decoratis saepius operam dare non licet, nisi juxta Canonum statuta (*d*).

14. Tota demum eorum vita, quos ex hominibus assumptos collocavit Dominus cum Principibus populi sui, innocens esto et impolluta (*e*), quantum humana fert imbecillitas; ut qui ex adverso est, vereatur nihil habens malum dicere de Ecclesiasticis nostris. Quare quisquis renuerit iis omnibus obtemperare, quae a Nobis praescripta sunt toto hoc Capite, ut efformaremus Clericorum vitam vere exemplarem, pecuniariis poenis, sicubi expressae non sunt afficiatur, in ultima Dioecesana Synodo constitutis.

CAPUT VIII.

DE SCHOLA EUGENIANA ET DE SEMINARIO CLERICORUM.

Clericorum Institutionem a Sacris Canonibus (*f*) jure optimo commendatam fateatur necesse est, quisquis vicinam lapsibus adolescentiam, pronamque ad Mundi voluptates sequendas, nisi recte informetur, animadverterit; quum testetur persaepe Scriptura, et quotidiano constet experimento, quantum totius vitae curriculo ineuntis aetatis proficua sit disciplina. Sicut enim fructus, ait apposite Cyprianus (*g*), non invenitur in arbore, in qua pampinus aut

(*a*) Apud Pitt. Const. Pont. num. 828. apud Gav. verb. *Annulus* num. 1. Nicol. in Flosc. verb. *Doctor* num. 37.

(*b*) Conc. Sipontin. ann. 1567. cap. *Quae per Clericos etc.*

(*c*) Cap. *Clerici* 2. hoc tit.

(*d*) Conc. Agathen. ann. 505. cap. 55. relatum in Can. *Episcopum* dist. 34. et in cap. 1. *De Cleric. venat.*

(*e*) Concil. Cabilon ann. 813. cap. 5.

(*f*) Can. *Omnis aetas.* 12. quaest. 1. Trid. sess. 23. cap. 18. De ref.

(*g*) *De duob. Abus.* cap. 3.

flos prius non apparuerit; sic in senectute honorem legitimum consequi non poterit, qui in adolescentia disciplinae alicujus exercitatione non laboraverit. Bene igitur cum tota Dioecesi nostra actum est, in qua praeter innumeras tum in Urbe, tum in Castris apertas Ecclesiasticae juventuti magno cum proventu erudiendae sacras palaestras; Gymnasium antiquissimum extat Clericorum nostrae Metropolitanae inservientium, et frequentissimum Seminarium non ita pridem, quum sese obtulit occasio, constitutum; ut adolescentes plantati in Domo Domini, rerum scientia et morum integritate in atriis Domus Dei efflorescant. Et sicut Praedecessores Nostri vigilantissimi utrumque conservandum esse duxerunt, regendumque peculiari quodam genere constitutionum Ecclesiasticis ministris educandis accommodato; ita eas hic confirmare, innovare, et quatenus opus sit, explicare atque extendere opportunum est.

1. Schola Eugeniana Grammaticae et Cantui sibi sciat impensius navandam esse operam; cum hac enim obligatione ab Eugenio IV. (*a*) erecta est, cum nonnullis emolumentis honoribus et oneribus, modis et conditionibus, prout in Bullis ab eo semel atque iterum datis latissime continetur; ac postmodum per Beatissimum Pium V. (*b*) ea de caussa restituta, quum suo praecipuo privilegio a Tridentina Synodo (*c*) exuta fuisse videretur.

2. Praeterea, quidquid in eorum Bullis universo Gymnasio injungitur observandum, in memoriam reducimus et inculcamus; hortamurque vehementer et commonemus Ecclesiasticos adolescentes, ut opus Dei, ad quod fuerunt assumpti, faciant diligenter, devotionem conservent, divinique cultus augmentum in Metropolitana nostra, pro viribus quisque certatim augere contendat; poenas daturi, si negligentes fuerint, condignas.

3. Ea insuper omnia, quae Nostri Praedecessores, et Nos ad ejusdem Collegii reformationem ac regimen constituimus, innovanda censemus et innovamus, eamdemque vim habere decernimus, ac si hic inserta, et de verbo ad verbum translata forent.

4. Seminarii quoque erectionem jampridem tentatam saepissime, novissimis autem temporibus a Praedecessore nostro immedia-

(*a*) Const. *Ad exequendum* edit. ann. 1435. et Const. *Ad providentiam* edit. ann. 1441.

(*b*) Constitut. *Ecclesiarum* edit. ann. 1567.

(*c*) Sess. 21. cap. 2. De ref.

Digitized by Google

to, Thoma Bonaventura ex Comitibus Gherardeschae, de Clero atque adeo de tota Dioecesi optime merito, demum perfectam approbamus et confirmamus; quemadmodum etiam quotquot a Nobis ad ejus gubernationem praecepta et regulae juxta Tridentinum Concilium (*a*) et Provinciale Florentinum sub Antonio Altovita Archiepiscopo (*b*) dictatae sunt, placet hic innovare, eisque robur adjicere Synodalis Constitutionis.

5. Insigne Privilegium, quo Clementi XI. (*c*) Seminarium nostrum augere visum est, ut nempe quotquot Scholae Eugenianae Clerici in illud arbitrio Nostro admitterentur, ordinari queaut ad titulum Servitutis, quamvis Metropolitanae inserviant dumtaxat cantantes in choro festis diebus, complectimur obsequentissime; eoque Nos pollicemur usuros in aedificationem Ecclesiae, et Dioecesis nostrae universae.

6. Illud etiam, quod ceterorum est alumuorum peculiare privilegium, gradum faciendi ad Ordines, Patrimonio in locum beneficii Ecclesiastici subrogato, servatum volumus et illaesum; dummodo ii sint Clerici, qui in Seminario bene versati, moribus et scientia evaserint commendabiles.

7. Meminerint denique omnes, qui Ecclesiastica obtinent Beneficia (*d*), quique praesunt Communitatibus, quae Beneficiis unitis aut ammensatis, ut ajunt, perfruuntur (*e*), sese obstrictos esse in conscientia legitimam Seminario taxam persolvere, quam Tridentini Concilii Decreta (*f*), Apostolicae Constitutiones (*g*) et Declarationes Sacrae Congregationis (*h*) pendi voluerunt, suoque praeclarissimo exemplo S. R. E. Cardinales amplissimi ad hanc usque diem praestiterunt, Apostolicis Constitutionibus (*i*) ultro parentes.

8. Qui vero justitiae debito satisfacere recusaverit, iis se poenis multandum sciat, quae sunt a Praedecessore nostro Thoma Bona-

(*a*) Sess. 23. cap. 18. De ref.

(*b*) Rubr. 22. per totum.

(*c*) Lit. in form. Brev. dat. ad Archiep. Thom. Bonav. ex Com. Gher. 6. Jun. 1714.

(*d*) Decis. refert Garz. part. 1. cap. 5. num. 171. in Addit.

(*e*) Sacr. Conc. Congr. in Lucan. 13. Maii 1628. in resp. ad 4. et 5. refert Instruct. super Tax. Sem. num. 17.

(*f*) Loc. cit.

(*g*) Bened. XIII. const. *Creditae nobis* edit. ann. 1725.

(*h*) Refert Barb. *De Off. et Potes. Episc.* Alleg. 77. num. 5.

(*i*) Cit. Const. Bened. et Sacr. Conc. Congr. in Rom. contrib. Sem. 3. Febr. 1646. et alias, refert Instr. praealleg. num. 5.

ventura ex Comitibus Gherardeschae Seminarii Conditore, et a Nobis sancitae in Edictis peculiaribus.

CAPUT. IX.

DE OFFICIO PAROCHI.

Quum inter ceteros inferioris Ordinis Clericos onere pariter et honore Parochi emineant, qui potiori jure lux mundi, ac sal terrae vocantur; et quum sit ars artium regimen animarum (*a*): sublimius quoddam ab illis honestatis et vitae genus reposcendum est procul dubio.

1. Primum ergo mandatum in lege Parochorum esto, ut in Domo Dei ambulent cum consensu (*b*), se invicem honore praevenientes, ac nemini dantes ullam offensionem (*c*), ut non vituperetur ministerium eorum a laicis. Ob eam rem, ut omnis amoveatur occasio dissensionum et contentionum, ad associanda Cadavera, Exequias persolvendas, ceteraque Officia divina in Parochiis peragenda, quoties pertinebit ad Parochum invitare, primo vocentur Capellanus seu Capellani eumdem assidue in animarum cura adjuvantes, deinde Parochi de Plebatu, postea Sacerdotes, qui dictis Parochis in animarum cura exercenda opem praestant; denique Beneficiati Ecclesiae tumulantis vel celebrantis festum; nisi tamen in aliqua Ecclesia adesset consuetudo, quod ante Parochos convocarentur Beneficiati, qui consueverint eidem Ecclesiae in divinis Officiis inservire, quam servari volumus et mandamus.

2. Confidimus certe Parochis non mediocriter profutura ea omnia esse, quae sparsim in hisce nostris Constitutionibus continentur, Praedecessorum nostrorum solertia singulari collecta; et ideo integram harum lectionem singulis saltem annis faciendam unicuique injungimus Parocho, ne cogamur universa repetere, et in hoc unum caput congerere, quae ad eos spectant potissimum.

(*a*) Conc. Later. 4. decret. 27.
(*b*) Innoc. XI. Constit. *Creditae nobis* edit. ann. 1680. part. 1. *De Const. Cler. Secul. etc.* num. 27. in Bullar. cont. part. 1.
(*c*) Cor. 2. 6. 3.

3. Eos etiam volumus sibi subsidio comparare (*a*) Sacram Scripturam, Concilium Tridentinum, Catechismum et Rituale Romanum, aliquam sacrorum Canonum aut Casuum conscientiae summam, et sacrum Enchiridium D. Hippolyti Tonelli; necnon aliquot piis meditationibus, sacrisque habendis concionibus accommodatos libros domi retinere, iisque omnibus perlegendis sedulo operam dare.

4. Nimiam cum laicis personis familiaritatem (*b*), jocos, compotationes evitent; aspera tamen et intractabilis eorum vitae ratio non sit. Quum praesertim paternae eorum providentiae miserabilium personarum (*c*), Viduarum, Pupillorum, ceterorumque humana ope destitutorum spiritalis praecipue, atque etiam temporalis commendata sit cura.

5. Divina majoris hebdomadae Officia, Vesperas singulis diebus festis (*d*), aut saltem earum loco pro plebis captu, nonnihil pium ac proficuum pro temporum varietate publice in Ecclesia decantent; praesertim vero sacratissimi Rosarii recitationem, religiosum pro beato fine assequendo exercitium, vulgo *La Buona Morte*, atque alias id genus preces et orationes ab Ecclesia approbatas in Parochias invehant suas, aut invectas jam foveant augeantque pro viribus. Interea populum ad eas convenientem praestolantemque prae foribus aut in Ecclesia, irreverenter aut inutiliter sermocinari non sinant. Ad Angelicam salutationem singulis diebus sub auroram, meridie, et post Solis occasum trino campanae ductu populos excitent, Indulgentias praesertim novissimas (*e*) lucraturos; eademque fere ratione pro iis, qui in extremo vitae agone contendunt hora diei vigesima tertia, et prima noctis pro iis, qui dormiunt in Christo Parochianos orare commoneant; et insuper feria sexta, hora vigesima prima, ea scilicet, qua Dominus Jesus emisit spiritum, tanti Mysterii memoriam satagant renovare (*f*).

6. Praeterea in Sabbato Sancto nulli permittitur Parocho, aliive

(*a*) Conc. Prov. Mediol. 1. sub D. Carolo *Qui libri praesertim etc. §. Parochi vero.*

(*b*) Conc. Senon. ann. 1528. decret. mor. 25

(*c*) Trid. sess. 23. cap. 1. De ref.

(*d*) Conc. Prov. Med. 3. sub D. Carolo *De Parochis.*

(*e*) Bened. XIII. in Brev. ann. 1624. et extendit etiam ad annum Sanctum non obstante generali suspensione Indulgentiarum in Brevi ann. 1725.

(*f*) Concil. Prov. Med. 2. sub D. Carolo tit. 2. decret. 10.

etiam regularium Ecclesiae, sub poena centum aureorum campanas pulsare, in Civitate quidem antequam Metropolitana, ruri antequam Matrix Ecclesia personuerit (*a*).

7. Candelarum, cinerum, ramorumque statutis diebus benedictio non omittatur; et in Ecclesia distribuantur de more.

8. Aquam non solum solemniori ritu in fontis videlicet benedictione, sed etiam singulis diebus Dominicis ante Missam Parochialem benedicendam, eaque populum respergendum edicimus (*b*); ad eliminandas autem superstitiones (*c*) jubemus animadverti diligentissime, ut salis mysterio adhibendi tantum consecretur dumtaxat, quantum sufficere censeatur, et si quid residuum fuerit, igne comburatur.

9. Ecclesiae suae jura omnes pro viribus illaesa conservent; ita tamen, ut potius nonnihil interdum ex rigore remittant, quam dum rebus tuendis suis avide student, nimia lucri cupiditate duci videantur.

10. Quod si quidpiam injuria a Parochianis extorqueant, quale utique est, quidquid ab illis pro attestationibus quibuscumque, pro quacumque fide exscribenda exigunt interdum nonnulli, sciant Nos id acerbe laturos, et in eos statim animadversuros ultione condigna.

11. Meminerint etiam Parochi eleemosynarum quaestores, qui olim Quaestuarii vulgo dicebantur, abolitos fuisse iampridem (*d*), et ab hujusmodi officio deterritos exercendo. Propterea nullum admittant ex his, nisi Apostolicas, vel Nostras literas exhibeant; et tum praeter id, quod in ipsis continebitur literis, nihil populo proponere permittant (*e*).

12. Praeter eos, quos jam in superioribus Capitulis recensuimus libros ad uniuscujusque Ecclesiae statum spectantes a Rectoribus retinendos, Baptizatorum videlicet, si ea Ecclesia baptismali decorata sit fonte, Confirmatorum, Matrimonia contrahentium, et Mortuorum (*f*); alium quoque peculiarem illos habere volumus,

(*a*) Leo X. Const. *Dum intra* edit. ann. 1516. §. *Et ut debitus.*

(*b*) Libr. 8. cap. 19. Const. quae tribuuntur Apost. Can. *Aquam.* De cons. dist. 3. Conc. Raven. ann. 1311. can. 9. Conc. Sipont. ann. 1567. *De Aqua bened.*

(*c*) Concil. Mogunt. ann. 1549. cap. 39. in fine.

(*d*) Trid. sess. 21. cap. 9. De ref. cum aliis Conc. ibi cit.

(*e*) Cap. *Cum ex eo. De poenit. etc.*

(*f*) Concil. Provinc. Florent. ann. 1573.

in quo Parochianorum suorum familias et numerum censeant, adnotentque quotquot praecepto Paschalis obstricti sint Communionis; a quo desumptum exemplar juxta formam a Nobis novissime traditam et in Additionibus positam, conficiendum, una cum ceteris libris ante Octavam Pentecostes exactam ad Nostram deferant Cancellariam, sex aureis multandi, si negligentes extiterint. Eos vero libros Parochiales sive completos sive incompletos universos, quacumque de caussa Ecclesiam vacare contingat, Oeconomus statim connumeret in Inventario, et ad nostrum Tabularium transmittat.

13. Ut omnis Pastor ad normam supremi Pastoris oves suas cognoscat sine controversia, suumque cognoscant suae, communi omnium quieti, atque utilitati etiam reciprocae consulentes; statuimus et declaramus, ut quotiescumque contigerit aliquam domum, seu plures simul unitas unum tantum habere ingressum, ad eum Parochum ejus omnes habitatores pertineant, in cujus Territorio ingressus positus est (*a*); etiamsi pars aliqua domus seu domorum simul unitarum hucusque sub alio Parocho ab eo diverso quovis modo ac titulo extiterit (*b*). Si vero duplex fuerit aditus, ad eum cura totius domus seu domorum devolvatur, in cujus Territorio principalis aut magis frequentatus aditus patet, sublata omni prorsus inhabitantium quorumcumque distinctione, praeservatoque cuique, quantum in Nobis est, honorifico Jure quocumque.

14. Ii, qui in Civitate degentes Parochiae limites extra moenia protendunt, ovium suarum suburbanarum custodiam alicui Sacerdoti vehementer commendare non negligant, a quo in necessitate, quum ipsimet praesto esse non valeant, opportunis auxiliis juvari queant.

15. Statim ac Parochus quispiam in gravem morbum inciderit, vicinioris Ecclesiae Rector (*c*), si alius non adsit Sacerdos, praesto sit, qui Parochi vice non solum erga infirmum, sed etiam in tota ejus Parochia, donec a Nobis aliter sit constitutum, fungatur. Quod si decedere contingat aegrotum, nuncius ad Nos ea de re citissime destinetur. Qui secus fecerint arbitrio Nostro puniantur.

rubr. 29. cap. 3. rubr. 35. cap 3. rubr. 47. cap. 3.

(*a*) Leg. *Si cui aedes. ff. De leg. etc. fideis.* 3.

(*b*) Statuta Cleri Romani promulgata iussu Clementis XI. cap. 3. *De jure eligendi sepultur.* §. 20.

(*c*) Eadem Statuta Cleri Romani in addit. cap. 1. §. 10.

16. Ut autem haec omnia, ea, qua par est, obedientia Parochi prosequantur, ad se suamque noverint pertinere sedulitatem Praepositi, atque Plebani (*a*); quibus proinde praecipimus, ut Nos quamprimum de contumacibus certiores faciant, ne per summum dedecus Ordinis Sacerdotalis ad detegendos Pastorum defectus a laicis ipsis opem implorare cogamur.

CAPUT X.

DE RESIDENTIA.

Praecipua boni Pastoris nota, et in qua fere una a Mercenario dignoscitur, in eo sita est, ut proprias Oves nunquam dimittat (*b*); sed ipse per se custodiat vigilias super gregem suum (*c*), eumque ad pascua salubriora, et ad venam aquarum viventium educat.

1. Ea de re utriusque Foederis paginae, et Canonicae Constitutiones (*d*) iis, quibus animarum cura commissa est, tantum onus inculcant assidue, et districtissime injungunt; quas cum saepius a Parochis, ceterisque, quorum est in Ecclesiis personaliter residere, attente revolvi exoptamus, tum eis enixe praecipimus, ut quae in Tridentino Concilio (*e*) ac S. Pii V. Constitutione (*f*) de hac obligatione statuta sunt, et per circulares literas a Clemente XI. conscriptas, et in Additionibus impressas confirmata, singulis saltem annis perlegant diligenter, ut quae sunt partes suae certo norint.

2. Quum quis legitima adversae valetudinis caussa, a propria Ecclesia discedendi facultatem petierit, ea statim cessante reversurus, Medici attestationem ad Nos transmittere curet, eamque satagat renovare, si forte infirmitas perseverans diuturniorem absentiam postulaverit.

(*a*) Synod. Carnoten. ann. 1526. tit. 1. §. *Item quia Decani*. Conc. Treveren. ann. 1548. in Ordin. Explorat. §. *Archipresbyteri*. Conc. Mechlinien. ann. 1570. cap. 2.

(*b*) Joann. 10. 12.

(*c*) Luc. 2. 8.

(*d*) Can. *Si quis vero* cum concord. 7. quaest. 1. Tot. tit. *De Cleric. non resid.* Extra et in 6.

(*e*) Sess. 6. cap. 3. De ref. et Sess. 23. cap. 1. De ref.

(*f*) S. Pius V. Const. *Cupientes* edit. ann. 1568.

Digitized by Google

3. Aequali fere cum non residentibus animadversione punitum iri se sciat, qui corpore quidem praesens, ea tamen, quae Parochi sunt, nullatenus implet; sed omnem populi curam, omnemque Pastoralis officii sollicitudinem Vicario, aut alteri Sacerdoti demandans, studet ipse dumtaxat pascere semetipsum (*a*).

4. Non in quolibet Parochiae loco immorando residentiae praeceptum impletur perfecte, ubi pro Parochis domus aliqua peculiariter destinata est; in ea siquidem, omnibus aliis, atque etiam paterna seclusis, manendum esse jam ante sancitum est (*b*).

5. Nemo Parochorum festis unquam diebus, profestis ultra biduum, aut summum ultra quatriduum, si dietis plusquam duabus ab Urbe distet Ecclesia, sub Canonicis poenis ab ea praesumat abesse; nisi idoneo Sacerdote in proprium locum suffecto, ipse gravissima et quae se differri non sinat, necessitate urgeatur; quam tamen Parochi inferiores proprio Plebano, Plebanus Plebano viciniori approbandam, Nobisque intra mensem literis datis significandam referre teneantur.

6. Utque omnem non residendi Parochis ansam, quantum in Nobis est, adimamus; praecipimus, ut nullum prorsus officium in quovis loco, etiam in Civitate ultra duo milliaria a suis Ecclesiis distanti, obeundum suscipiant (*c*); et si qui forte intra praedictum intervallum ad aliquod munus incumbunt, sciant ob id nullum Parochiis suis praejudicium afferri debere, seque interim, quasi non residentes habendos esse, si ea omnia minime praestent, quae a caeteris Parochis salute ovium suarum sollicitis perficiuntur.

7. Bimestre a Tridentina Synodo (*d*) indultum, si quis non residendo praetergredi se posse asseveret, id per se coram Nobis legitime exponat probetque; quod nisi praestiterit, non resideat tamen quovis obtentu, in omnibus Ecclesiis eo ipso suspensus sit a divinis, praeterquam in sua; ceteras quoque latas in contumaces Canonicas poenas subiturus.

8. Facultates non residendi alia quacumque via, quam per De-

(*a*) Ezech. 34. 2. Jud. Epist. Cath. 12.

(*b*) Novae Declarat. ad Decret. Sacros. Conc. Trid. sess. 23. cap. 1. apudCard. Bellarminum.

(*c*) Sacr. Congr. Conc. pluries apud Barb. in Collect. Bull. verb. *Parochus*.

(*d*) Sess. et cap cit.

Digitized by Google

cretum obtentae, nemini in posterum suffragentur (*a*); sed irrritas omnino censendas habendusque mandamus.

CAPUT. XI.

DE CONGREGATIONIBUS HABENDIS A PAROCHIS ALIISQUE.

Ut ea, quam adeo injungimus et inculcamus, Residentia, menti sacrorum Canonum conformetur, oportet Parochos aliosque Clericos residentes, assidue sese pro viribus in Ecclesiarum suarum utilitatem exercere. Quod utique is demum praestat, qui se quotidie partibus suis explendis magis idoneum contendit efficere, et ea, qua decet sedulitate ac decore, divinis officiis peragendis insistit.

1. Laudamus itaque comprobamusque saluberrimam Dioecesis nostrae consuetudinem, qua Parochi omnes et Confessarii cujusque Plebatus in eum, quem duxerint commodiorem locum convenientes, duas saltem horas singulis mensibus in literariis impendunt exercitationibus (*b*), unum Tridentini Concilii caput, unam Breviarii, seu Missalis, Ritualisve Romani Rubricam, morales quaestiones Theologicas duas, alteram ex Ordine Divini officii desumptam, et alteram proponendam a Praesidente, et Dioecesanae Synodi hujus Constitutionem aliquam declarando enucleandoque; ut scientia, quam labia ipsorum custodire dicuntur (*c*), penitus repleantur, ac deinde potens sit unusquisque in doctrina sana exhortari populum suum, et eos, qui contradicunt, arguere. Quare, qui tam salutari exercitationi, legitimo sine impedimento, quocumque sese praetextu subduxerit, mulctam alias irrogatam aureorum duorum pro singulis vicibus deinceps effugiet nemo.

2. Quod autem singulis faciendum mensibus constituimus, id non ita intelligi volumus, ut ex aliqua rationabili caussa in altero mense ab hisce Congregationibus vacare, pluresve in altero ha-

(*a*) Conc. Provinc. Florent. ann. 1573. rubr. 26. cap. 1.

(*b*) Statuta Cleri Roman. de mandato Clement. XI. edita cap. 2. §. 6. Sacr. Congreg. Concil. die 5. Mart. 1598. apud Barb. in Collect. Bull. verb. *Congregatio*. Conc. Prov. Med. 2. sub D. Carolo decr. 30. Concil. Rom. sub Bened. XIII. tit. 15. cap. 9.

(*c*) Malach. 2. 7.

Digitized by Google

beri non permittamus, sed ut duodecies in anno, congruo tempore iutercedente, literarii conventus instituantur. Si qui vero Parochi (quod et nonnullos fecisse dolentes accepimus) plures uno die Congregationes praesumerent expedire, eae omnes, quae habitae sunt praeter unam, in duodenario numero praescripto non computentur, sed perinde sit, ac si una dumtaxat peracta fuisset.

3. Quod a Parochis, atque a Confessariis observatum est ad hanc usque diem, desideratur etiam a ceteris Sacerdotibus, et a Clericis ulterius exigitur (*a*). Clericos enim quotquot ad sacros Ordines promoveri petierint, inter ceteras attestationes, eam quoque afferre debere decernimus, qua Praeses et Secretarius propriis subscriptis nominibus, eos hujusmodi Congregationibus anni saltem unius spatio frequenter interfuisse fateantur, nisi aliquo ex legitimis, quae ceteros Sacerdotes excusant, impedimentis laboraverint.

4. In his collationibus Plebanum, aut alium ex numero Sacerdotum Praesidentis munere fungi, aliumque, Secretarium agere volumus; cujus erunt partes (*b*) quidquid in unaquaque actum sit, una cum quaestionibus resolutis in peculiari libro Sacerdotum congregatorum expensis comparato conscribere; ipsumque librum sub poena quatuor aureorum Paschali tempore nondum exacto, ad D. Deputatum Generalem ex Metropolitanae nostrae Capitulo assumendum transmittere.

5. Examinatores Synodales, quibus Codicum transmissorum censura demandabitur, id agant sedulo, ut quidquid in eis deprehenderint non rite confectum notent; quaestiones perperam resolutas emendent, implexis lucem affundant, et subscribant in calce; ea omnia in Generali a Nobis indicenda Congregatione relaturi, quae inter legendum animadverterint notatu digna.

6. In iis autem locis, quae Collegiatis Ecclesiis, aut numero Clericorum frequenti condecorantur, Congregationes praedictae duplicentur quotannis, ad normam nuperrime a Nobis traditam, impressamque in Additionibus Synodi.

7. Quum autem Clero hujus Urbis Academiis, Collegiis, atque

(*a*) Benedict. XIII. in confirm. liter. Innocentii XIII super Ecclesiast. discipl. in Hispan. edit. ann. 1724. num. 7. in Append. sui Concil. Rom. et in Bullar. contin. part. 2.

(*b*) Method. Congreg. habend. a Clero num. 13. et 14. in Append, Concil. Roman. sub Bened. XIII.

Gymnasiis publicis ac privatis frequentissime, in omni studiorum genere, praecipue sacrorum proficiendi pateat occasio; ne dum longinquis consulimus, quasi domesticorum videamur obliti, volumus Ecclesiasticas quascumque personas in hac Urbe degentes sacris studiis operam dare, ac praesertim institutis de re morali congressibus interesse, singularem benevolentiam studiosis pollicentes, debitas poenas a negligentibus atque otiosis opportune exacturi.

CAPUT XII.

DE DIVINIS OFFICIIS.

Clerici omnes, qui sacro sunt Ordine decorati, aut Beneficio fruuntur Ecclesiastico, publicas ad Deum preces Ecclesiae nomine praeceptoque quotidie tenentur effundere, quae solent a nobis divinum Officium nuncupari. Horum itaque nullus talem orandi rationem mysteriis refertam (*a*), nisi legitime sit impeditus, unquam omittat, aut ad libitum ordinet peragatque; sed praefixas Romano Breviario rubricas inviolabiliter servet, et Calendario Dioecesis, auctoritate Nostra facilitatis gratia quotannis edendo, inhaereat obsequenter (*b*).

1. Si quis autem hujusmodi recitationem omiserit sine legitimo impedimento, siquidem in sacris Ordinibus constitutus sit, pro modo culpae poenas se noverit arbitrio nostro daturum; si vero Ecclesiastico beneficio potiatur, ejusdem fructibus sese privatum esse meminerit, juxta dispositionem Lateranensis ultimi Concilii (*c*), et Bullam S. Pii V. (*d*).

2. Qui Choro interesse, ibique nocturnas et diurnas horas persolvere quacumque de causa tenentur, eo diligentius ad divinas laudes incumbant (*e*), quo de proventibus Ecclesiae, quam plantavit Dextera Domini, aluntur uberius; maximeque omnes animadvertant, quod eorum devotio ac modestia non potest omnibus non innotescere hominibus eo confluentibus.

(*a*) Lib. 8. cap. 34. Const. quae tribuuntur Apost.

(*b*) Can. *De is qui* dist. 12.

(*c*) Sess. 9. can. 10.

(*d*) *Ex proximo* edit. ann. 1571.

(*e*) Conc. Gen. Later. 4. decret. 17.

3. Nullus e Choro ante finem Officii exeat (*a*), nisi gravi necessitate compulsus sit; discedens vero, suasque in obligationes quocumque modo declinans (quem certe adducet Dominus cum operantibus iniquitatem) notetur accuratissime, omnique posthabito humano respectu multetur a Praefecto Chori, aut Punctatore (*b*) quocumque nomine nuncupetur; cujus conscientiam in re tanti ponderis oneramus.

CAPUT XIII.

DE SACRIS PROCESSIONIBUS.

Cleri devotio (*c*) in iis colendi Deum, ejusque opem suppliciter exorandi sacris ritibus, pompisque solemnibus magis ac magis elucet, quas interdum Supplicationes, interdum vero Processiones vocamus ex sacris Canonibus (*d*). Quae quidem, quum quoddam publicarum precum genus exigant, Nostrum dumtaxat est pro temporum varietate novas decernere atque instituere (*e*), et in iis, quae fieri jam solent, collapsam reficere disciplinam.

1. Noctu nemini prorsus liceat sine Nostra expressa facultate, nonnisi gravissimis de caussis concedenda, Processiones inire; sed statim exacto die terminentur omnino; poenis arbitrio Nostro reservatis, pro contumacia infligendis.

2. Nullae unquam foeminae illis immisceantur; permittimus tamen, ut festo sanctissimi Praecursoris die recurrente, et accedentibus ad Civitatem suburbanis Confraternitatibus, vetus consuetudo servetur.

3. Plebanis ceterisque Parochis omnibus, sub poena duorum aureorum praecipimus, ut quum supplicationibus eos interesse opus fuerit, praeter superpelliceum, stolam, ac cetera Clericalia indumenta, habitum propriae deferant dignitatis; nec liceat laicis,

(*a*) Clem. 1. *De celebr. Miss. etc.*

(*b*) Clemens XI. in lit. circul. sub die 16. Mart. 1703. num. 9. per totum in Bullar. contin. part. 2.

(*c*) Clemens XI. in lit. circul. sub die 26. Julii 1701. num. 8. in Bullar. contin. part. 2.

(*d*) Can. *Certum est.* De cons. dist 1. Conc. apud Illebonam, olim Juliambonam ann. 1080. can. 7.

(*e*) Sacr. Rit. Congr. 17 Decembr. 1602. et alias, refert Pax Jord. lib. 11. tit. 2. num. 30.

nisi unius saltem Presbyteri sacris, ut modo praecepimus, vestibus induti praesentia decorentur, ad eas accedere supplicationes, quae nec ab Ecclesia solemniter sunt institutae, nec publice a Nobis indictae.

4. Clerus suppliciter ad aliquam Ecclesiam accedens cum sonitu Campanarum (*a*), luminibusque ad Aram maximam collucentibus est excipiendus; praeterea vero Metropolitanae Capitulum ab Ecclesiae, ad quam progreditur, Clero universo ad fores consistenti recipiendum fore decernimus; poena aureorum viginti quinque in transgressores Clericos seculares, et locali interdicto in Regulares inflicto, nullatenus immutatis.

5. Ea vero est in hujus sacrae pompae circumductione Plebaniarum praerogativa singularis, ut salvis peculiaribus privilegiis, quotiescumque ad ipsas est procedendum, vel sustollendum est illarum vexillum (quod unum inter cetera esse debet magna serica Cruce distinctum exornatumque) nulli alteri Ecclesiae vel Societati hujusmodi signum explicare permissum sit.

6. Processiones illae, quae tam in majoribus, quam in minoribus Litaniis seu Rogationibus (*b*) duci solent, vel intra Parochiae limites, quos nunquam suppliciter procedendo egredi licet, inscio Parocho loci, ab unoquoque Rectore fiant; vel si qui renuant, ad Matricem Ecclesiam una cum Plebano eas peracturi conveniant; nunquam tamen in eis aliter precari permittimus, quam constitutum sit ab Ecclesia.

7. In festo Sacratissimi Corporis Christi (*c*), in quo praecelsum et admirabile Eucharistiae Sacramentum singulari veneratione ac solemnitate celebratur, et secundum laudabilem et universalem Ecclesiae sanctae ritum et consuetudinem reverenter atque honorifice per vias ac loca publica circumfertur; Priores et Rectores Civitatis, seculares quidem per se, nisi legitimo detineantur impedimento, Regulares vero saltem per alium opportune ad Metropolitanam accedant; ruri vero ad Matricem Ecclesiam tum Parochi omnes per se, aut justa caussa intercedente per alium Sacerdotem; tum Confraternitates in ejus ambitu sitae hora a Matricis Rectore praecedenti

(*a*) Conc. Provinc. Mediol. 4. sub D. Carolo part. 2. hoc tit. §. *In omni* cum duob. sequentibus.

(*b*) Can. *Rogationes*. De cons. dist. 3.

(*c*) Urb. IV. Const. 1. relat. in Clem. unic. *De reliq. et vener sanct.*

Digitized by Google

Dominico die praestituta conveniant; peragaturque Processio, eo quo par est, pompae apparatu, pietate ac devotione quam maxima, nihilque vernacula lingua (*a*), et praeter Ecclesiae morem concinatur; et ante meridiem extra urbem sub arbitrii Nostri poena ea divina functio expediatur.

8. Ceteras vero Parochias vel infra Octavam, vel ipso Octavae die juxta consuetudinem, circumducere hanc sacram pompam, per suos praesertim fines non improbamus; modo tumultus omni majori studio vitetur.

9. Ea de re volumus, ut in hujusmodi processionibus intra urbem ducendis, post Crucem ejus Ecclesiae Parochialis, a qua processio peragitur, sive ea secularis sit, sive regularis, immediate sequatur Crux seu Vexillum Societatis SS. Sacramenti in eadem Ecclesia constitutae, decenti Confratrum numero adstante incensis facibus, deinde ceterae Confraternitates, quae vel a Parocho, vel ab ea Societate vocatae fuerint, prout de more; unaquaeque sub proprio Vexillo, et antiquioris erectionis in procedendo praerogativa servata (*b*); ac postmodum ante Clerum immediate Confraternitas eadem SS. Sacramenti sine aliquo signo procedat, eo Fratrum numero excepto, qui Venerabilis Eucharistiae umbellam circumstabunt (*c*).

10. Processionibus, et ceteris in Metropolitana de more ineundis functionibus, Parochi per se, quoad eis fieri potest, graviter ac decenter intersint (*d*); sin minus Sacerdoti dumtaxat idoneo vices suas demandent, suisque partibus satisfaciant.

11. Et quoniam accepimus hanc laudabilem consuetudinem ad Metropolitanam in majoribus anni celebritatibus conveniendi, quam a Beatissimo Antonino Praedecessore Nostro perhibent institutam, sensim obsolescere; nolentes patientia Nostra principem urbis Ecclesiam suo debito cultu fraudari, Magistro Chori mandamus, ut diligenter animadvertat an Priores et Rectores diebus in Ordine divini Officii enunciatis tam Processionibus, quam aliis

(*a*) Sacr. Rit. Congr. apud Nicol. verb. *Cantus* num. 1.

(*b*) Sacr. Rit. Congr. in Soran. 7. Aug. 1628. apud Barbos. in collect. Bull. verb. *Confraternitas.*

(*c*) Sacr. Rit. Congr. in Nepes 10. Maii 1608. apud Barbos. loc. cit. verb. eod.

(*d*) Sacr. Congr. Concil. in Puteol. apud Ursayam Discept. Ecclesiastic. tom. 1. part. 2. discept. 24. num. 11. et in Brictinor. apud eumdem ibidem num. 23.

sacris in Choro functionibus assistaut ; utque servatis legibus sibi praescriptis exactam singulis vicibus cujuscumque negligentis notam conficiat ; quae postmodum ad Nos deferatur consuetas multas piis locis distribuendas, exigi ab unoquoque jussuros .

12. In celebriori supplicatione S. Joannis Baptistae non adhuc satis repressam licentiam ea pro libito concinendi, quae minus congruunt, Pastorali vigilantia cohibere volentes; Praedecessorum nostrorum Decreta, quibus cautum est, ut psalmi dumtaxat, Cantica sacrae Scripturae, Hymnique Ecclesiastici decantentur, innovanda censemus, ac tenore praesentium innovamus .

13. Meminerint Regulares (*a*) supplicationes suas per vias et loca publica a se non esse ducendas, sed Claustri circuitum et Ecclesiae, debere nullatenus egredi .

14. Et quoniam iis Processionibus, aliisque Functionibus peractis, in quibus augustissima Eucharistia circumlata vel exposita est, populo solet in genua provoluto cum ea benedici; subjectum Nobis populum duximus admonendum longe ab Ecclesiae ritibus eos aberrare, qui vel post Orationem *Deus, qui nobis ec.* alias, quaecumque fuerint, preces subjungunt, vel inter benedictionem impertiendam quidpiam, quantumlibet pium, canere consueverunt.

CAPUT XIV.

DE FUNERIBUS.

Funera, quae inter alia Christianae pietatis opera praecipuum locum habent, eo maiorem a Nobis exigunt curam, quo pluribus patent insidiis Diaboli. Eaque de caussa ex debito Pastorali sic dirigentur, ut quantum in Domino dabitur, officia pietatis erga mortuos exhibenda, vinculum pacis et caritatis inter superstites non dissolvant .

1. Postquam ergo quispiam Fidelium debitum humanitatis exsolverit (*b*), et preces ab Ecclesia institutae, nulla mora interiecta, ad ejus corpus recitentur a Parocho, et lugubri deinde Campanae signo vicinia excitetur, ut oratio fiat a populo ad Deum pro

(*a*) Conc. Aquense ann. 1585. de Proc. (*b*) Ritual. Roman. post Expirat.

Digitized by Google

eo (*a*); omnesque monemus in Domino consanguineos, familiares, aut ejus heredes, qui nuper defunctus est, ut Ecclesiae Presbyteros (*b*) statim inducant, si commode possint; curentque, ut quousque ille domi jacuerit, sine intermissione orent super eum alternatim.

2. Sub noctem hora funeris propinquante, quotquot invitati sunt, ad Ecclesiam Parochialem (*c*) se conferant omnes, nisi Metropolitanae nostrae Capitulum interveniat, cujus est eo casu et quam in Ecclesiam conveniendum a proprio etiam Parocho, et qua procedendum sit via constituere.

3. Deinde vero, quum parata sunt omnia; domum defuncti adeant ex ordine una cum Parocho, cujus et necessarium esse consensum edicimus (*d*), antequam efferatur cadaver, et ad quem declaramus omnimode pertinere consueta peragere Christianae pietatis officia, iter statuere (*e*) studendo maxime brevitati, et ceteros associantes ad Ecclesiam subsequi sepulturae; ad cujus fores jurisdictionem omnem amittat (*f*), ejusque deponat insignia.

4. Inter eundum defuncti Parochus, nisi sit Metropolitanae nostrae Curatus, loco cedat cuicumque Parocho sepulturae; studeatque, ut ante primam noctis horam, quantum fieri potest, finis huic sacrae pompae imponatur.

5. Stolae delatio solis Parochis, vel eorum gerentibus vicem communi quidem jure permissa est, legitimis privilegiis semper exceptis; eaque carentes, jus praecedentiae (*g*), quae ad eos, delata stola, pertinuisset, amittant. Crucem erigat Parochus sepulturae (*h*); et si quis ea sepeliendus sit in Ecclesia, quae nequeat cru-

(*a*) Actor. 12. 5.

(*b*) Statut. Cleri Romani *De ordine procedenti in funer. process.* cap. 5. §. 23.

(*c*) Sacr. Episc. et Rit. Congr. apud Gav. verb. *Exequiae* num. 11. et in Addit. num. 5.

(*d*) Sacr. Episc. Congr. apud eumd. loc. cit. num. 9. et in Addit. num 7.

(*e*) Ead. Sacr. Congr. apud eumd. loc. cit num. 10. in Addit. Statuta Cleri Romani. *De Ordine procedendi etc.* cap. 5 § 2. in Additionibus.

(*f*) Sacr. Conc. Congr. apud Ursayam Discept. eccl. tom. 1. part. 2. discept. 14. num 136. et seq.

(*g*) Sacr. Rit. Congr. in Macerat. apud Pascuccium in Compend. ad Consult. Canonic. Piguatt. part. 2. tit. *De Parocho et Parochia.*

(*h*) Statuta Cleri Romani. *De Ordine procedendi etc.* cap. 5. §. 7.

cem erigere, Parochus, intra cuius limites constituta est sepultura, crucem attollat (*a*).

6. Postquam cadaver illatum est in Ecclesiam, feretrum in medio depositum ita statuatur (*b*), ut si defunctus extiterit Laicus pedes ejus sint versus altare majus, si vero fuerit Sacerdos, versus altare majus sit ejus caput. Maximeque notandum est, haudquaquam decere pauciores in altari, quam circa cadaver cercos ardere; feretrumque, nisi magni nominis in eo jaceat persona, non debere ultra circumstantium capita extolli.

7. Juvat etiam hic admonere Missam de Requiem recitari, aut cani non posse, quamvis praesente cadavere, in triduo majoris hebdomadae, in Nativitate Dominica, primo die Paschae, Pentecostes, et in festo Patroni, seu Titularis Ecclesiae, ubi cadaver expositum est (*c*); et ulterius ubi patet publicae adorationi Venerabile Sacramentum.

8. Quoties alibi, quam in propria Parochia defunctus est tumulandus, semper est persolvenda ejus Parocho, quacumque remota exceptione, Canonica portio (*d*); quarta scilicet, seu alia pinguior pars juxta conventiones, atque consuetudines in hac etiam Civitate vigentes, omnium intorticiorum et candelarum, quae tam per viam, quam in Ecclesia accenduntur, tam circa cadaver, quam etiam in altaribus, non solum vespere, sed etiam mane, ad normam Constitutionis (*e*) modernae Benedicti XIII. Quidquid reliquum est ad Ecclesiam pertineat tumulantem (*f*).

9. In eo tamen eventu, in quo tumulans Ecclesia nequeat Crucem attollere, atque ideo cum sua Cruce interfuerit Rector Ecclesiae Parochialis, intra cujus limites Ecclesia sita est sepulturae; ita reliqua portio funeralis instituatur inter utramque, ut quarta prius detracta, quam ad defuncti Parochum certum est pertinere, quicumque ille sit, quidquid superest ex intorticiis et cereis tam per viam, quam in Ecclesia, tam vespere, quam mane in fu-

(*a*) Sacr. Rit. Congr. apud Barb. in *Defunctus* et apud Picton, in Const. Pont. Summ. Apost. decis. verb. *Crux* Collect. 234. num. 8.

(*b*) Ritual. Roman. *De Exequiis*.

(*c*) Rit. Rom. *De exeq.* rubr. 5. apud Baruffald. §. 5. num. 44. et Sacr. Congr. rit. apud Barbos. in Collect Bullar. verb. *Defunctus* et apud Picton, in Const. Pont. etc num. 1117.

(*d*) Cap. 1. cum concord. *De sepult.*

(*e*) Romanus Pontifex etc. auctoritatem etc. ed. an. 1725.

(*f*) Synod. Provinc. Flor. ann. 1573. rubr. 47. cap. 5.

nere accensis, totum id aequa lance inter Ecclesiam tumulantem, et Parochiam, intra cujus limites ea tumulans Ecclesia posita est, dividatur; nisi aliud peculiare pactum legitimum intercesserit.

10. Non aliter observandum esse decernimus, in iis omnibus dispertiendis emolumentis ab eo quovis modo provenientibus, qui vel in Ecclesia Monialium, vel in alio quolibet Oratorio sibi sepulcrum elegerit. Ubi ex Praedecessorum nostrorum Constitutionibus (*a*), quibus inhaerendum esse censuimus, funereas obire functiones ad Parochum illum, in cujus territorio constitutum est Monasterium vel Oratorium, privative quoad omnes alios spectabit (*b*).

11. Ceterum, quum in iis funeribus, quae per viam solemniter producuntur, non omnia in hac Dioecesi devolvantur ad Ecclesiam funalia, quibus associatum est cadaver, sed medietas eorum dumtaxat, et duo praeterea, quae Cruci deservierunt cum quibuscumque cereis tempore absolutionis Ecclesiasticae ad quodlibet altare, et circa feretrum etiam ardentibus; ea de re declaramus atque praecipimus Parochis sepulturae, atque omnibus tumulantis Ecclesiae Rectoribus, ut quacumque tergiversatione seclusa, reliquam medietatem funalium per viam accensorum, duobus tantum detractis, defuncti domum remittendam, alicui ex heredum commissione consignent.

12. Heredes autem, nisi curaverint ut Exequiarum tempore, saltem ad aram maximam, et ad cadaver colluceant faces in numero competenti; noverint praeter duo funalia cruci destinata, quatuor etiam ex eis, quae ad hereditatem pertinuissent, adhibenda esse in Exequiis, inter utrumque Parochum post peractum hoc christianae pietatis Officium, servata debita proportione, de qua superius, dividenda.

13. Et quoniam compertum est morem inolevisse, ut in eorum funeribus, qui quum viverent, adscripti erant in aliquo Collegio aut Academia, plerique fideles ex eorum consortio accensis funalibus cadaver associent majori cum pompa; ne piae huic consuetudini ullatenus derogetur, et ne sensim inferatur praejudicium Ecclesiae;

(*a*) Synod. ann. 1710. hoc tit. §. 22. novissime Clemens XI. in Edict. sub die 26. Januar. 1720. in Bullar. cont. part. 2.

(*b*) Sacr. Rit. Congr. 29. Nov. 1632. apud Barbos. in Collect. verb. *Officium* et

Digitized by Google

statuimus et mandamus, ut si qui deferunt faces in hujusmodi associationibus, sint in habitu laicali, nulloque superinduti Sacco poenitentiae, tantummodo teneantur ea de re Parochum, cujus interest, praemonere, nulloque pacto faces ab eis delatae putentur sub portione Canonica comprehensae. Si vero sint in habitu a Clericis, aut a Confraternitatibus in sacris functionibus adhibito, faces, quas deferent, Parocho sive Parochis, prout de jure, acquirantur.

14. Commendamus interim, atque in vinculis caritatis maxime obstrictos habemus eos Parochos, qui pro ejus qualitate personae, quae in paupertate decessit, nonnullas faces ad certum numerum praefixas, ut augeatur funebris apparatus, ultro permittunt, nihil inde sperantes.

15. Non solum autem canonica portio ad normam Bullae Benedictinae jam expressa debetur Parocho, sed etiam ejus duplum distributionis (*a*), quae tribuitur ceteris quibuscumque funus publice associantibus. Si vero vices alteri Parochus commiserit suas, tunc unam tantum distributionem Sacerdos, qui gerit vices, acquirat (*b*), eam scilicet Parocho debitam, si per se intersit, non autem eam insuper, quam ceteri obtinent Sacerdotes aut Capellani.

16. Sed nisi Parochus sive per se, sive per alium associaverit suum Parochianum usque ad fores tumulantis Ecclesiae (quod audivimus in privatis interdum associationibus evenire) heredes ab onere liberamus solvendi quidquid emolumenti constitutum est pro associatione hujusmodi (*c*), sive id in communi massa comprehensum sit, sive distinctum ab ea, tres scilicet cerae libras, aut aequivalens; in suo semper robore permanente quidquid huc usque legitime consuevit Ecclesiae cuique solvi eleemosynae nomine.

17. Rurali Parocho pro rusticis iis humandis hominibus, quibus nec bona sunt propria, nec accepta in Emphyteusim magno cum commodo, quibusve multum lucri, aut ex mercatura, aut alia quavis ex arte non obvenit, quemadmodum alias constitutum est (*d*), eleemosyna detur juliorum decem; et si infra duodennium sint ii,

(*a*) Statuta Cleri Romani. *De merc. assoc. fun.* cap. 6. § 12.

(*b*) Concil. Provinc. Mediol. 4. sub D. Carolo *De Clericorum ad festorum dierum celebritatem conventu.*

(*c*) Statuta Cleri Romani. *De canon. port.* cap cap. 4. §. 3.

(*d*) Synod. Flor. ann. 1710. hoc cap.

qui humandi sunt, trium dumtaxat juliorum. Sed Parochus teneatur, et in hujus aetatis pueris efferendis duas circa crucem candelas accendere, unciarum saltem duarum; in ceteris vero, praeter candelas duas cruci adhaerentes, quatuor ad aram maximam, et quatuor ad cadaver disponere propriis semper expensis. Nulli tamen per hanc Constitutionem volumus esse prohibitum eo, quo maluerit, majori apparatu sibi funus instruere.

18. Quemadmodum, ut par erat, jurium Parochialium indemnitati consuluimus, semperque paratam fore jam nunc promittimus opem nostram (*a*) quotiescumque constiterit incongruam extitisse funebrem pompam, habita personarum ratione, ut compellamus (*b*) heredes ad ea reddenda Parocho debita emolumenta, quibus fraudatum esse contigerit: ita statuimus, enixeque jubemus, ut siquis decesserit egenus et pauper, propriis semper expensis Parochus praestet (*c*) quidquid opus fuerit ad eum christiano more sepeliendum, posthabita omni spe lucri. Atque ita duo saltem lumina in ejus cadavere deferendo circa crucem adhibeat; quod etiam in pueris et infantibus quibuscumque ad Ecclesiam deducendis servandum est inviolabiliter. Si quis supremum hoc pietatis officium negligere, vel ad minimum differre turpis lucri gratia non erubuerit (*d*) pro modo culpae puniatur.

19. Contra vero Parochos praesertim rurales monitos volumus Deo gratum fore, Nobisque jucundissimum, si, Tobiam aemulantes virum misericordiae in sacris literis (*e*) satis clarum, tum verbo, tum etiam exemplo, populos identidem excitent sibi subiectos, ut in pauperum hujuscemodi cadaveribus sepeliendis se se misericordes exhibeant, efficiantque, ut vel aliquot huic operi tam pio destinentur alterne, vel alia opportuna ratione hoc christianae charitis officium alacriter peragatur.

20. Quotiescumque quis in aliqua decedat Parochia, cuius minime sit parochianus effectus, Rector ejus Parochiae, intra cujus limites is mortuus est, ejus extrahendum esse cadaver prae-

(*a*) Conc. Prov. Med. 1. sud D. Carolo part. 2. *De fun. et Exeq.* §. *Si mortuorum.*

(*b*) Cap. *Ad Apostolicam. De sim.*

(*c*) Sacr. Episc. Congr. apud Gav. verb. *Exequiae* num. 48.

(*d*) Ead. apud eumd. verb. *Sepoltura* num. 6. in Addit.

(*e*) Tob. cap. 1. 21. cap. 2. 7. et 8.

Digitized by Google

moneatur, et nihil ultra; sed Jura Parochialia ei Parocho reserventur illaesa, in cujus territorio fixam habet habitationem quisquis alibi mortuus est. Si vero longinquitas, aut incommoditas locorum impedimento sint (*a*), quominus extrahatur cadaver, et alio transferatur; in ea parochia, in qua quis decessit regulariter sepeliatur; de proprii tamen Parochi permissione, quantum fieri potest, cui debet etiam quarta funeralis omnino persolvi.

21. Nil juris habeat Parochus Urbis ad ea commoda, quaecumque sint, nanciscenda, quae ex funere proveniunt illius personae, quae quum rure, in quo suam habet Parochiam, sese ad Urbem contulisset, in ea brevi post tempore occubuit; sed omnia ea rurali Parocho tradenda esse statuimus, dummodo erecta Cruce ad Urbem adveniat cadaver elaturus, si velit et commode possit. Contra vero si nequeat, aut nolit omnino Civitatem intrare ruralis Parochus, saltem ad portam usque procedat, ibique cadaver, quod Parochus urbanus cum propria Cruce eo usque comitabitur, expectet excipiatque. Interim duo intorticia Cruci assignata extinguantur in portae limine, quae Parocho statim urbano tradi praecipimus.

22. Non aliter observetur, si quispiam in Urbe degens, in sepulcrum ruralis Ecclesiae inferri se mandet ad normam inferius praescribendam; eo tantum discrimine superaddito, quod in funere per Urbem ducendo, licet electae sepulturae Parochus ad efferendum cadaver accesserit, Parochus defuncti debet nihilominus interesse; et ubi ventum erit ad portam, ei danda est canonica portio. Idemque prorsus jus esto, quum quis ruri degens, ibique decedens, servata debita forma in Urbem transferendum sit.

23. Ubicumque licitum est eligere sepulturam (*b*). Si quis ea non electa e vivis excedat; siquidem aut familiare habeat sepulcrum, aut proprium ejus Communitatis, in qua vivens adscriptus erat, Apostolico privilegio munitum, in eo tumuletur; sin minus, in propria semper Parochia. Advenas autem et peregrinos, quamquam ii communi Jure sepeliendi esse videantur in Cathedrali (*c*), in ea tamen Ecclesia (*d*), in cujus contigerit eos occubuisse Paro-

(*a*) Cap. *Is qui. De sepult.* in 6.

(*b*) Cap. 1. *De sepult.*

(*c*) Sacr. Episc. Congr. apud Gav. verb. *Sepultura* num. 4. in Addit.

(*d*) Statuta Cleri Romani. *De jure eligendi sepult.* cap. 3. §. 16.

Digitized by Google

chia, volumus terrae mandari; nullatenus recedentes a consuetudine adhuc servata in hac Dioecesi.

24. Universi Religiosi ac seculares Clerici, cujuscumque status vel conditionis existant, meminerint in virtute sanctae obedientiae, ac sub interminatione maledictionis aeternae sibi districtissime vetitum esse a sacris Canonibus (*a*), ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interposita, seu alias promittendum inducant, ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent. Si secus fecerint praeter alias poenas inflictas (*b*), excommunicationem incurrere eo ipso se sciant (*c*).

25. Nemo pro terra, in qua sepulcrum est effodiendum, aut pro sepulturae jure concedendo vel usu, quidquam praesumat exigere (*d*); in Ecclesia vero si quis nova sepulcra condi permiserit, Nobis inconsultis, aureorum duorum poenam exsolvat.

26. Duo saltem testes (*e*), quibus exinde neque privata, neque communis aliqua proveniat utilitas, in Curia nostra juridice examinandi, sepulturae probent electionem legitimam; quoties de ea neque per Testamentum, neque aliter satis constet.

27. Consuetudo corpora defunctorum non humandi, nisi post horas vigintiquatuor ab eorum decessu (*f*) inviolabiliter observetur; interea liceat nulli quocumque praetextu iis dissecandis manum admovere, nisi facultate a Nobis obtenta; quam nemini concedemus, nisi saltem ab obitu horarum duodecim (*g*) intercesserit spatium.

28. Neque sane unumquemque indiscriminatim fas est ad Ecclesiasticam recipere sepulturam; sacris est enim Canonibus (*h*) institutum, ut quibus non communicamus vivis, non communicemus defunctis; et Ecclesiasticae in transgressores sancitae sunt (*i*) poenae. Si quem itaque mori contingat nominatim excommunicatum, vel publicum Clerici percussorem, manifestum praeterea Usu-

(*a*) Conc. Gen. Later. 4. decret. 56. Cap. 1. *De sepult.* in 6.

(*b*) Cit. cap. 1.

(*c*) Clem. ult. §. *Sane. De poenis.*

(*d*) Can. *Questa est* et seq. 13. quaest. 2. Cap. *Abolendae. De sepult.*

(*e*) Citata Statuta Cleri Romani. *De jure eligendi sepult.* cap. 3. §. 3.

(*f*) Conc. Narbon. ann. 1609. *De sepultura etc.*

(*g*) Conc. Prov. Med. 5. sub D. Carolo *Quae pertinent ad fun.* §. *Delatum.*

(*h*) Can. 1. 24. quaest. 2. Cap. *Sacris. De sepult.*

(*i*) Cit. cap. *Sacris,* et in Clem. 1. *de Sepult.*

Digitized by Google

rarium (*a*), aliosque notorie viventes perdite ac flagitiose (*b*); nisi saltem dum agerent in extremis (*c*), per Presbyterum juxta formam Ecclesiae fuerint absoluti, Coemeterium, et alia eis Ecclesiae suffragia deneganda sunt. In rebus autem dubiis Nos consuli volumus.

29. Atque, ut in Ecclesiis nihil indecens relinquatur, suprema Romani Pontificis sanxit auctoritas (*d*), ut capsae omnes et deposita, seu alia cadaverum conditoria super terram existentia omnino amoveantur, et defunctorum corpora in tumbis profundis collocentur infra terram.

30. Si quis igitur Apostolicae Constitutioni, et Praedecessorum nostrorum ea de re pluries editis nondum paruerit jussionibus (*e*), intra duos menses pareat omnino. Si quae vero sunt ex aere vel lapide monumenta, quae potius splendorem Ecclesiae conferant et ornamentum, exemptis ab eis, si quae sunt, ossibus et cineribus, permanere non prohibemus. Prope altare, ubi Corpus et Sanguis Domini conficitur, nemo sepeliatur (*f*). Imo, si quae sunt ibidem effossa sepulcra penitus obstruantur (*g*); cetera vero duplici contegantur operculo.

CAPUT XV.

DE PRAECEDENTIIS.

Posteaquam de Praecedentiis in Ecclesiastica Hierarchia, quae, ut memorat Tridentinum (*h*), est Castrorum acies ordinata, nonnulla speciatim attigimus; ad firmandam in genere praecedendi rationem sollicitudinem Nostram convertimus.

1. Statuimus itaque, ut in propria Ecclesia Parochus quilibet in sacris quibuscumque functionibus peragendis praelationis honore decoretur; et si quando is Ecclesiastica munia nequeat quacumque

(*a*) Cap. *Quia. De usur.* Cap. *Quamquam.* Eod. in 6.

(*b*) Can. *Placuit.* 23. quaest, 5.

(*c*) Cap. final. *De sepult.*

(*d*) Pius V. Const. *Cum primum* edit. ann. 1566. §. *Et ut in Ecclesiis.*

(*e*) Synod. Prov. Florent. ann. 1573. Rubr. 48. cap. 1. per totum.

(*f*) Can. *Praecipimus*, vers. *Intra.* 13. quaest. 2.

(*g*) Sacr. Episc. Congr. pluries apud Pignatt. tom. 2. aonsult. 32. num. 2.

(*h*) Sess. 23. cap. 4. ex Cant. 6. 3.

de caussa, aut nolit obire, praerogativa primum proprio Plebano tribuatur, deinde gradatim transeat ad Priorem, qui praeest Ecclesiae, titulo Prioratus ante ceteras insignitae; ac denique post Priores Curati succedant, inter quos illum praeponi volumus, qui reliquos in possessione praevertit.

2. Si vero aliquibus in locis, aut ex privilegio, aut ex legitima consuetudine in praemissis omnibus aliter servaretur, illud nullatenus abrogandum esse censemus. Declaramus ulterius, quod sub nomine Plebani, Prioris, Curatique, ii quoque comprehenduntur, quos amovibiles dicimus (*a*), quique Ecclesiarum annexarum, Principalis nomine, curam exercent.

3. Capellanos ac ceteros Sacerdotes omnes, qui Plebanorum, aliorumque Rectorum personam ac vicem gerunt post ceteros omnes Rectores, qui per se intersunt, reponimus (*b*); et solum inter se ipsos habito ad eum, quem repraesentant, respectu, praecedendi jus damus. Quod si ea peragenda sit functio, in qua Capellani (*c*) et Sacerdotes ii stola sint induendi, Principalis sui constituimus locum illos decere.

4. Quum vero dispositus hactenus Ecclesiasticarum personarum ordo, et praeeminentia in vario indumentorum genere, ornatuque distincto in sacris functionibus adhibendo soleat, refulgere, nemo Clericorum audeat congruentem sibi vestiendi rationem supergredi, atque ita Ecclesiasticam confundere Hierarchiam.

5. Nulla enim alia de caussa et Capitularibus omnibus propria quaedam habitus forma, et Protonotariis Rochetus et Mantelletta Romano Pontifice concessa est; quos tamen Protonotarios, ceterosque habitu peculiari insignitos vestium suarum amplitudinem dimittere expediens esse censemus, quoties diversam a dignitate sua personam gerentes, ejus ratione et intuitu in publicum prodire debent. Praeter hos vero, et si qui sunt alii Apostolico privilegio muniti, nullus in Dioecesi nostra Rochetum adhibeat, licet consuetudine sese tueri contendat.

(*a*) Sacr. Concil. Congr. 27. Martii ann. 1706. apud Monacell. in Formul. leg. pract. part. 4. in supplem. ad 3. Tom. num. 105.

(*b*) Statuta Cleri Romani edita jussu Clementis XI. *De offic. Camer.* cap. 2. §. 8.

(*c*) Sacr. Rit. Congr. 13. Augusti 1701. apud Monacell. in Formul. leg. Pract. part. 4 in supplem. ad 3. Tom. num. 100.

6. Plebanos de more superpelliceo addere volumus almutium vulgo *Batolo* coloris violacei; et contrafacientes in duos aureos damnandos sancimus. Priores et Curati almutium deferant nigrum; illi quidem fimbria purpurea circumtextum; ii vero ejusdem ac almutium coloris.

7. Ceteri Clerici, quibus peculiaris habitus non est assignatus, clericali pileolo, et superpelliceo in sacris obeundis officiis semper utantur; nec unquam hujusmodi veste conspicui in publicum prodeant, et circumvagentur, nisi forte sacri muneris opportunitas id fieri postulaverit. Si qui vero in aliquo ex iis delinquant, aureis duobus multentur.

8. Ceterum licet (*a*) ad hoc dispensationis divinae provisio, gradus in Ecclesia diversos, et ordines constituerit esse distinctos; ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, et potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret, et ex diversitate contextio, et recte officiorum gereretur administratio singulorum; oramus nihilominus et obsecramus dilectissimum Clerum, ut nullus, spectante praesertim populo, aestu ambitionis abreptus de primo recubitu et de praecedentiae juribus excitet controversias; sed pacis omnes servandae studio, et aedificandae plebis amore succensi (*b*), major interdum, si ita opus fuerit, servire minori non renuat, et si quid inter eos totis animi viribus placeat aemulari, aemulentur Charismata meliora.

CAPUT XVI.

DE REGULARIBUS.

Latis iis primum, quae ad Clerum nostrum quocumque modo spectare visae sunt, constitutionibus, ad ea, quae Regularibus sacrorum Canonum auctoritate a Nobis sunt praecipienda, vel inculcanda descendimus.

1. Religionis alicujus regulam solemniter professurus (*c*), si bonis suis opportune voluerit renunciare, facultatem obtineat a No-

(*a*) Can. ult. dist. 89.
(*b*) Luc. 32. 26.
(*c*) Trid. sess. 25. cap. 16. *De reg. et mon.*

Digitized by Google

bis; et exemplar confecti instrumenti in Tabulario nostro seu Cancellaria teneatur relinquere.

2. Ordinibus initiandi, quicumque in Monasteriis Dioecesis nostrae morantur, ad examen coram Nobis (*a*), et ad nostram Ordinationem, quoties eam vel per Nos vel per alium habebimus, semper accedant (*b*).

3. Ad publicas Processiones cujuscumque generis sint vocatos accedere compellemus (*c*), et si quis in eis aliisque sacris functionibus obeundis contingat de praecedentia controversias oriri, eas sciant, amota omni appellatione, et non obstantibus quibuscumque, componere Nostrum esse.

4. Dies festos, quorum Nos cultum praecipere, atque instituere voluerimus, ii quoque observent exacte (*d*); et censurarum et interdictorum observantiam auctoritate Sedis Apostolicae, vel a Nobis positorum (*e*) sibi districte mandatam propriis in Ecclesiis proponere, obsequi omnino meminerint.

5. Confessiones Monialium in monasterio etiam sibi subjecto degentium non audeant excipere, nisi pro tali ministerio a Nobis peculiariter sint approbati. Qui vero in earumdem Monialium Oratoriis Missas celebraverint, aut ad earum Monasteria, quamvis ab Ordinarii jurisdictione quomodolibet exempta, ac etiam ipsis Regularibus subjecta, vel alias speciali mentione digna, absque legitima facultate accesserint, colloquendo etiam per quodcumque modicum temporis spatium cum Monialibus, aut aliis intra clausuram degentibus, se norint peccare mortaliter; et excommunicationis, privationis vocis activae et passivae, aliisque contra Regulares accedentes sine licentia ad Monasteria Monialium statutis poenis posse a Nobis (*f*), tamquam sedis Apostolicae Delegatis coerceri.

6. Ea omnia, quae ad Regulares spectantia statuimus in Capitulis superioribus, et praecipue quum de praedicatione Verbi Dei, et de Poenitentiae et Eucharistiae Sacramentis ageremus, recolere atque obsequenter amplecti non dedignentur; sciantque postremo quot-

(3) Trid. sess. 23 cap. 12. De ref.

(4) Sacr. Congr. apud Gav. verb. *Ordo* num. 35.

(5) Trid. sess. 25. cap. 13. *De reg. etc.*

(6) Trid. sess. 25. cap. 12. *De reg. etc.*

(7) Clem. 1. *De sent. excomm.*

(1) Sacr. Conc. Congr. refert Synod. ann. 1710. in Addit. pag. 500.

quot in nostra Dioecesi animarum curam exercent, in iis omnino, quae ad eam recte gerendam et administrandam conducunt, jurisdictioni, visitationi, et correctioni Nostrae sese immediate subesse (*a*); nullumque se posse in partem ministerii, atque ad exercitium Curae sine facultate Nostra vocare (*b*).

CAPUT XVII.

DE MONIALIBUS.

Prudentes Virgines illae, quae peculiari quodam afflatu divini Spiritus ductae in solitudinem, mentis lumbos praecinctae, et lucernas ardentes in manibus tenentes coelestis Sponsi sollicitae praestolantur adventum, eo sunt jure optimo diligentius custodiendae (*c*), quo Nobis coelitus demandati sunt portio Gregis illustrior, et quo perfectius est regularis vitae, quam amplexae sunt, institutum.

1. Quum igitur talis ac tanta vivendi ratio nulli sit ineunda, re non antea sedulo matureque perpensa, quamcumque vetamus in numerum Monialium adsciri seu cooptari, cujus non prius cordati viri discretio a Nobis supplici libello porrecto deputandi, consilia ac voluntatem diligenter discusserit et exploraverit; quibus tum demum probatis, Moniales in Capitulo congregatae ea super re secreta ferant suffragia (*d*). Eas interim commonemus nullam praeter numerum juxta reditus praestitutum (*e*) acceptare se posse (*f*), aut quam Monasterium ingredi norint invitam (*g*), vel cujus nomine dos ex veteri consuetudine persolvenda apud nostrae Curiae Camerarium nondum deposita sit, vel quam denique intra quartum con-

(*a*) Trid. sess. 25. cap. 11. *De reg. etc.*

(*b*) Sacr. Conc. Congr. citans Trident. ubi supra, et refert Synod. ann. 1710. in Addit. pag. 493.

(*c*) Clemens XI. in liter. circul. sub die 16. Mart. ann. 1703. num. 7. in Bullar contin. part. 2.

(*d*) Sacr. Congr. apud Nicol. verb. *Habitus* num. 19.

(*e*) Cap *Periculoso*. *De stat. monach.* in 6.

(*f*) Trid. sess. 25. cap. 3. *De reg. et mon.* Pius V. Constit. *Circa pastoralis* edit. ann. 1563. §. 7.

(*g*) Cap. 1. *De reg. etc.*

sanguinitatis gradum earum Confessario, vel Procuratori tunc temporis existenti constet esse conjunctam.

2. Voti compos initis rite suffragiis effecta, novum regularem non induat habitum, nisi saltem duodecimum aetatis annum peregerit, et sextus a die admissionis clapsus sit mensis (*a*). Si tamen ultra annum religiosi habitus protrahatur susceptio, necesse est ut examen et suffragia iterentur.

3. Dos tota quaecumque, et quantacumque ea est exacta revera (*b*) Monasterii commodo cedat; eamque aut in solutione aeris alieni jam contracti, aut in bona immobilia, seu quae immobilibus aequiparentur, convertendam esse jubemus (*c*); quod quidem si aliqua ex caussa fieri nequeat, certiores fieri volumus. Interim pecuniae quantitas ea, quae fructibus puellae solvendis respondet, lucro apponatur eo meliori modo, quo potest. Non obedientes, Ecclesiae res alienantium poenis, quatenus congruum est, subjiciantur; et Monasterio Praefectas ab officio suspendi, et voce activa et passiva triennio carere sancimus.

4. Eos vero commonemus in Domino, qui puellas e claustris educunt, quarum est decreta receptio tempore opportuno exequenda, ut magna cum cautela eas veluti margaritas pretiosas custodiant, ne thesaurum in vasis fictilibus publice portent in via, ut parcius, quam fieri potest, sinant eas exire; maximeque caveant, ne ludicris inanibusque spectaculis (*d*) non sine gravi periculo intersint. Quid enim illis cum seculi pompis (*e*) et voluptatibus, quibus jam sponte renunciare proposuerunt? Concepti autem propositi se Deo dicandi veritatem et efficaciam per idoneos viros, antequam ultimus ad Monasterium regressus contingat, probandam esse decernimus.

5. Quum igitur Sponsa Christi ad claustra Coenobii ultimo revertetur, primae noctis horae advertendum est nondum praeteriisse dimidium. Moniales vero, puellae consanguineos, eos omnes de-

(*a*) Concil. Prov. Mediol. 1. sub D. Carolo part. 3. *de puell. ad relig. admitt.* §. *Ab iis autem, et* §. *Quae vero.*

(*b*) Decreta Sacr. Congr. in Portugall. 6. Jan. 1615. et in Brundus. 15. Januar 1616. apud Monacell. in Formul. legal. pract. part. 1. tit. 11. form. 7. num. 7.

(*c*) Sacr. Congr. Episcop. 6 Jun. 1615. apud Barbos. in Collect. Bullar. verb. *Dos etc.*

(*d*) Conc. Prov. Mediol. sub. D. Carolo part. 3. *De puellis ad religion. etc.* §. *Quum primum.*

(*e*) Concil. Roman. sub Bened. XIII. tit. 21. cap. 4.

nique, quorum est ea cura, rogamus atque obsecramus per viscera misericordiae Dei nostri, ut eas satagant a Monasteriis eliminare musicas cantilenas, quae ea nocte magna populi vi confluente, non sine Virginum Deo dicatarum perturbatione cani mos est. Puella deinde decem subsequentes dies (*a*) in sacris exercitiis, nisi ea tempore acceptaionis alias peregerit, insumat; quibus exactis, quum habitum susceptura ad Ecclesiam descenderit, consuetae omnes serventur caeremoniae. Illud autem prae ceteris, inculcamus, ut nulla tunc temporis publicae pompae solemnitas, nullique omnino musici adhibeantur concentus (*b*); et si mane peragenda sit functio ante Nonam ea terminetur una cum Missa, quae semper privatim dicenda est; si autem vespere, ultra horam diei vigesimam tertiam, nullatenus protrahatur. Directe vero, vel indirecte Constitutionem hanc nostram Apostolicae Sedis approbatione (*c*) firmatam violantes, quibuscumque privilegiis, vel exemptionibus a Nostra fruantur jurisdictione, ab Officio suspendantur, vel removeantur, aut etiam gravius Nostro puniantur arbitrio.

6. Si quae tamen puella intra ipsa claustra ad fenestellam scilicet Eucharistiae, quam nefas esse monemus profanis usibus deservire (*d*), sacras recipere vestes, atque iis indui velit, propositum hujusmodi summopere laudamus, omnesque ad illud in posterum amplectendum hortamur vehementissime. Nulla tamen ea occasione, sicuti nec tempore Professionis, aut Consecrationis pocuienta aut esculenta per rotam aut crates Ecclesiae praebeantur, Moniales contrafacientes sex mensium spatio voce activa et passiva priventur eo ipso, et Superiorissa consentiens mense ab officio suspendatur.

7. Monastico habitu indutae, et inter Novitias, ut ajunt, adscriptae, annuum integrum probationis exigant tyrocinium (*e*) ea sub duce ac magistra, quae ceteras Moniales in munere subeundo praestare videatur non tam aetate et ordine religiosae professionis, quam

[9] (*a*) Sacr. Congr. Episc. refert Synod. ann. 1710. in Addit. pag 404.

(*b*) Conc. Aquileiense ann. 1596. can. 20 *De mon.* Edict. Card. Carpinei de Mand. Clement. XI. sub. die 28. Septembris 1711 in Bullar. contin part 2.

(*c*) Lit. Card. Carpinei de mand. Clem. XI. apud cit. Synod. in Addit. pag. 511.

(*d*) Lit. Circ. Clem. XI. 30. Octobr. 1706. in Bullar. contin. part. 2.

(*e*) Trid. sess. 25. cap. 15. *De reg. et mon.*

morum integritate ac prudentia; propriaque interim domicilia, seu cellulas habeant a reliquis omnibus, quoad ejus fieri potest, semotas ac segregatas (*a*).

8. Emittendae Professionis religiosae adventante jam tempore, et spiritualia Exercitia, quae deinde quotannis renovanda sunt, et examen repetatur idoneum, et vota Capitularia per secreta suffragia iterentur. Notarius vero, qui necessario aderit in actu ejus Professionis redigat in publicum Instrumentum rem gestam, eamque Monasterii tabulis adscribi sedulo curet. Sciendum est autem in quavis religione tam virorum, quam mulierum Professionem nonnisi post decimum sextum aetatis annum expletum (*b*), et intra quindecim dies ab exacto probationis anno peragi ullatenus posse. Post Professionem emissam patet ingressus in Juvenatum, sicubi viget, quem certe morem non mediocriter Nos approbamus commendamusque.

9. Religiosae Professae ea contendant omni studio adimplere, quae Deo voverunt (*c*), quaeque leges praecipiunt, quibus se obstrinxerunt; eaque de caussa susceptae vitae saepe recogitent rationem, gratias agant assidue coelesti Sponso, a quo vocatae sunt ad immaculatas Agni nuptias, tantaque se dignas exhibeant vocatione. Ob eam rem non modo suas unaquaeque Constitutiones attente legat, eamque lectionem, omnes dum mensae vacant (*d*), duorum saltem mensium spatio totam absolvant; sed hanc etiam frequenter evolvant Synodalium sanctionum partem Monialium propriam, quae in vernaculam linguam conversa (*e*) consuevit huc usque ab eis legi jussu immediati nostri Praedecessoris. Nos vero quaecumque ejus solertia singulari sancita sunt pro Monialibus omnimode confirmamus; nisi quatenus pro temporum varietate duximus derogandum nonnullis in rebus, de quibus operam dabimus eas fieri certiores quamprimum.

10. Et quia, clausurae stante ac vigente rigore, cetera quoque in Monasteriis plerumque se bene habent; eo vero neglecto, vel defi-

(*a*) Sacr. Congr. apud Nicol. verb. *Novitiae* num. 32.

(*b*) Trid. loc. cit.

(*c*) Trid. sess. cit. cap. 2.

(*d*) Conc. Biterrense ann. 1246. *De custod. Claustri.*

(*e*) Concil. Prov. Med. 1. sub D. Carolo *De propr. reg. et constitut. assidue legend.*

ciente, omnia quoque laudabilia corruant instituta necesse est; ideirco volumus ostia Monasteriorum tunc solum patere, cum praecisa id necessitas postulaverit (a), claviumque custodiam interdiu penes janitricem esse, nunquam vero apud alteram, nulloque in loco affixas relinqui; poenamque privationis officii sine ulla spe veniae subibit janitrix, si negligenter se gesserit.

11. Quotiescumque opus erit, ut quispiam eorum, qui actu deserviunt, necessario in Monasterium introeat, praeterquamquod legitima debet esse facultate munitus (b), Moniales omnes tintinnabulo personante ab janitrice admonendae sunt, ut ad sua se quaeque recipiat. Interim vero, si quid in loco minus aperto conspicuoque faciendum sit, ad aliquot Monialium, quae ad annum pervenerint quadragesimum quintum, spectet ex munere ingressis viris semper adesse; quos hora diei adveniente vigesima quarta e claustris egredi omnino volumus, nec in ea regredi officio suo functos, nisi nova necessitas, novaque accesserit introeundi facultas. Qui secus fecerint, rei censeantur violatae clausurae, et canonicis sanctionibus obnoxii sunto.

12. Quicumque in Monasteria ad aliquod exercendum opus introeunt, Olitores praesertim, Coloni, Molendinarii, aliique ejus generis Operarii homines, statim exacto ministerio regredi festinabunt (c) una cum jumentis, si quae secum egerint, nec cibo sumendo, nec rebus immorantes supervacaneis; eaque onerum genera, quae neque valent in rota recipi, neque a Monialibus gestari, famuli ii, quos sermone vernaculo appellamus *Fattori*, inferant in Coenobium, nec alias in illud inopportune se ingerant; alii vero omnes nec onerum inferendorum, nec alicujus solemnitatis praetextu, nec alia de caussa eo se conferre praesumant absque speciali permissione (d), nec Moniales infantibus aditum patere sinant (e); in his enim omnibus clausurae leges inviolabiles perfringuntur (f).

13. Monialium colloquutorium (g) pateat dumtaxat ab exortu solis usque ad ultimam diei horam. Feria autem quinta, sexta, et

(a) Conc. Matiscon. ann. 582. cap. 2.
(b) Trid. sess. 25. cap. 5. *De reg. etc.*
(c) Conc. Epaun. ann. 517. cap. 38.
(d) Cap. *Periculoso. De stat. monah.* in 6.
(e) Trid. loc. cit.
(f) Sacr. Congr. apud Nicol. in Flosc. verb. *Clausura* num. 29.
(g) Conc. Cabilon. ann. 813. cap. 56.

Digitized by Google

Sabbato majoris hebdomadae, totoque eo tempore, quo Venerabile Sacramentum in earum Ecclesia expositum est, numquam reclusum esse permittimus; in iis vero diebus, quibus Moniales sanctissimo reficiuntur Eucharistiae cibo (*a*) nisi meridie transacto, nullatenus pateat. Quibus autem horis permissa est cum exteris allocutio, locum habendis sermonibus destinatum frequenter invisat Superiorissa, januis obseratis nulli permittens Monialibus colloqui.

14. Si quispiam virorum ad Monialium colloquutorium accesserit, facultatem non habens idoneam, ab janitrice sub poena privationis officii inspiciendam, lictoribus obnoxius esto poenas daturus in jure praescriptas. Monialis autem alloquenda, ubi Coenobii Praeses adnuerit (quod tempore Orationi destinato fieri non debet, nisi gravis urgeat necessitas) ad crates, seu rotam una cum auscultatrice (*b*) semper conveniat. Educandae vero puellae, novitiaeque, quoties ab aliis, quam ab affinibus aut consanguineis, in primo vel secundo gradu conjunctis vocentur, sine propria Magistra crates non adeant. Secus facientes eo accedendi facultate trium mensium spatio privamus.

15. Ad januam quoque sub eadem poena, nisi maxima quaepiam res et inevitabilis urgeat, cum viris praesertim colloqui vetitum est (*c*); quod ubi forte contigerit, et peculiaris permissio postuletur, et sermones a stantibus, quantum licuerit, quam brevissimi ad invicem habeantur; cum Regularibus autem sine facultate accedentibus colloquentes in vocis activae ac passivae privationem incurrant.

16. Vesci in Auditorio (*d*), cratibus tamen januisque semper occlusis, in eo tantum eventu exteris permittatur, in quo alio divertere cibo se refecturi non possunt. Moniales contrafacientes voce activa et passiva careant eo ipso mensibus sex; et Praeses ipsa ab officio diebus triginta suspendatur.

17. Non liceat Monialibus coram exteris scenicis lusibus operam dare (*e*) sub poena privationis vocis activae et passivae ipso

(*a*) Alex. VII. Const. *Sacrosancti* edit. ann. 1658. §. *Mandamus.*

(*b*) Conc. Gen. Nicaen. 2. can. 20.

(*c*) Sacr. Congr. apud Nicol. in Flosc. verb. *Porta* num. 9.

(*d*) Conc. Cabil. cit. cap. 61.

(*e*) Conc. Colon. ann. 1549. *Comaedias quatenus liceat in Monasteriis ludere.*

Digitized by Google

jure incurrenda; a qua nec etiam declaramus immunes quaecumque rei peragendae opem praebuerint vel consilium; et exteri spectatum convenientes excommunicati sint ipso facto. Animi vero gratia DD. Gubernatoribus, aut Confessario ordinario approbante, aliquam inter ipsas Dramatici operis recitationem fieri non improbamus; cum iis tamen vestibus, quibus utuntur in scena, quamvis compositae decentesque undequaque esse debent; in conspectum non prodeant exterorum. Contra vero, si quis larvatus Monialium adierit colloquutorium, praeter excommunicationem, de qua in quinti casus reservatione, alloquendi Moniales obtenta facultate nullatenus juvetur, quominus poenas luat, perinde ac eam non haberet.

18. Sacris virginibus literas reddi, vel ab eis scriptas emitti prohibemus (*a*), nisi quae prius oblatae Praesidi Monasterii ab ea, si velit, perlectae fuerint; exceptis iis, quae a Monialibus ad Superiores, vel consanguineos affinesque in primo aut secundo gradu, quaeve ab his omnibus ad Moniales dantur, si ita ferat Monasterii consuetudo.

19. Quod autem ad paupertatis votum inter Moniales pertinet conservandum, cjusque, sicubi collapsa fuisset, observantiam restituendam: sacrorum Canonum (*b*) et Praedecessorum nostrorum in ultima Dioecesana Synodo relatas constitutiones confirmamus omnino, et peculiariter inculcamus, eam dumtaxat ex Abbatissae aut Priorissae consensu pecuniae quantitatem, quae julios tres non excedat, Monialibus retinere permissum esse pro quotidianis expensis; vetamusque, quidpiam ex rebus, quae illis interdum supersunt pro usibus suis concessae, stipendii, remunerationis, aut eleemosynae nomine erogare, nisi Praefectae facultate accedente, aut aliis quibuslibet dono dare, non servata forma a Clemente VIII. (*c*) praescripta, et ab Urbano VIII. (*d*) declarata; vel denique Nobis non annuentibus eleemosynas Missarum celebrandarum gratia elargiri, vel pro iis assequendis in aliqua Congregatione, Centuriave recenseri. Facta nihilominus eis potestate, stipendia decem Missarum

(*a*) Conc. Prov. Med. 1. sub. D. Carolo part. 3 tit. *De claus.* §. *Neque.*

(*b*) Can. *Abbates* 18. quaest. 2. cum concord. Cap. *Monachi. De stat. Monach.* Trid sess. 25. cap. 2. *De reg. et mon.*

(*c*) Const. *Religiosae Congregationes* edit ann. 1594.

(*d*) In Brev. *Nuper a Congregatione* ann. 1640.

quotannis cuicumque maluerint conferendi; re cum Coenobii Praefecta communicata.

20. Creditores Monialium, qui sine expresso Praesidis Monasterii consensu cum eis contraxerunt, Monasterium nullatenus convenire se posse meminerint (*a*) ad repetendam debitae sibi pecuniae quantitatem.

21. Hereditatum quarumlibet ad Monasterium devolutarum administrationem illis personis competere tantummodo declaramus, quibus cetera bona Monasterii commissa sunt administranda.

22. Non aliter liceat Monialibus de rebus ad usum sibi concessis mortis caussa disponere (*b*), quam voluntatem suam Superioribus patefaciendo, ac precibus interpositis; secus vero facientes poenis Proprietariorum gravissimis subjiciantur (*c*), quatenus congruit.

23. Si quid post obitum Monialis reliquisse comperiatur, quod spolium solet communiter dici, primum solvendis debitis destinetur ab ea contractis; deinde si quid supererit, Monasterii Praesidem, cujus id totum arbitrio subjicimus, laudabiliter sese gesturam censemus, si inter personas defunctae conjunctas tam intra claustra, quam extra existentes moderate relicta dispertiatur.

24. In obeundis vicissim officiis libenti animo diligenterque se gerant, parcantque sumptibus aliter quam Monasterii aere faciendis, quemadmodum nuper ab Apostolica Sede decretum est (*d*). Et Camerariae munus ultra consuetum tamdiu ab eadem geri queat, quamdiu Monasterio videbitur expedire.

25. Eo tamen die, quo nova Superior regendo praeficitur Monasterio, non ultra statutum ab jure (*e*) tempus in officio perduratura, dati acceptique rationes tempore regiminis anteacti Cancellario nostro exhibeantur diligentissime. Cum vero quaepiam ultra aureos triginta expensa facienda est, res a Praefecta in Capitulum deferatur, atque insuper, si tale negotium proponi contingat, quod Apostolicae Sedis, vel Nostram requirat auctoritatem, nihil ea statuatur

(*a*) Cap. *Quod quibusdam. De fidejuss.*

(*b*) Can. *Quia ingredientibus.* 19. quaest. ult. Cap. 2. *De testam. et ult. volunt.*

(*c*) Cap. *Quum ad Monasterium.* § *Prohibemus. De stat. Monach.* Trid. loc. cit.

(*d*) Clemens XI. in liter. circul. sub die 28. Jul. 1708. in Append. Conc. Romani ann. 1725.

(*e*) Greg. XIII. Const. *Exposcit* edit. ann. 1583.

non expectata. Procuratores quoque commonefacimus in generali mandato alienationem non comprehendi: quapropter initos ab eis contractus hujusmodi, absque ulteriori cautela firmitatis robur habere nullum.

26. Quum vero undequaque maxime intersit idoneas personas ad officia quaecumque in Monasteriis assumere peragenda, nullus omnino Monialium servitio, quodcumque illud sit, sine Nostro consensu sese praesumat addicere (*a*): contrafacientes puniantur graviter. Atque adeo quicumque adversus praescripta Procuratoris munus exercuerit, Clericus per mensem a Divinis suspensus sit ipso facto; Laicus vero ipso jure sit excommunicatus.

27. Confessarii Sanctimonialium semper a Nobis probandi (*b*) officium sit, in iis unice rebus qua majori potest prudentia versari, quae videantur animarum saluti conducere. Quapropter ad eum potissimum spectat, observantiae consulere Regularum, nil praeter eas peragendum in Monasterium invehere; ejusque curae atque maturitati commissa est librorum, qui legendi sunt a Monialibus, omnimoda electio.

28. Ad eum quoque pertinet (*c*), Confessarium extraordinarium bis saltem in anno, Sanctimonialibus ipsis negligentibus, aut etiam detrectantibus, a Nobis petere; quo designato ab adeundo Monasterio sub poena amissionis Officii, sibi noverit abstinendum (*d*); nisi quatenus in Ecclesia sacras de more functiones celebrare necesse sit.

29. Ad confessiones audiendas decumbentis Monialis ingrediens superpelliceum, et stolam adhibeat; atque ita in eo Sacramento se gerat administrando, ut intuentium oculis nullatenus se subripiat.

30. In Oratoriis Sacrarum virginum (*e*) nulli permittimus Sacerdoti rem sacram facere, praeter eos, qui consueverunt ibidem jugiter inservire, aut quos festis diebus Sanctorum Ordinis aut Titularis, Funeris celebrandi, habitus Susceptionis, Professionis, aut

(*a*) Conc. Prov. Flor. ann. 1517. *De Monial* cap. 12.

(*b*) Greg. XV. Const. *Inscrutabili* edit. ann. 1623.

(*c*) Trid. sess. 25. cap. 10. *de Regul. et Monial.*

(*d*) Edictum Cardin. Carpinei de mand. Clem. XI. sub die 12. Decembris 1708. num. 2. in Bullar. contin. part. 2.

(*e*) Edict. Card. Carpin. de mand. Innocent. XII. num. 11. sub die 20. Novembris 1691. in Bullar. contin. part. 1.

Consecrationis Monialium, vel Orationis quadraginta horarum advenientibus, DD. Gubernatores, aut iis deficientibus Confessarii actuales duxerint invitandos; Monasteriis peculiari gaudentibus privilegio, aut curam animarum gerentibus semper exceptis.

CAPUT XVIII.

DE JUDICIIS.

Quum multae ad haec usque tempora apprime utiles a Praedecessoribus nostris, qua sacrorum Canonum auctoritate suffultis, qua temporum varietati deservientibus opportune, pro bono regimine Curiae nostrae Archiepiscopalis emanaverint Regulae; nihil ferme reliquum esse videtur, nisi eas ordinare, atque in unum veluti corpus redigere, exactamque observantiam earum inculcare, et collapsam in pristinum vigorem reducere.

1. Propterea praecipimus Cancellariis, Actuariis, Notariis, Caussidicis, omnibusque aliis Officialibus nostri Fori Ecclesiastici, et Exequutoribus etiam, ut omnia quam exactissime observent disposita et constituta in nuperrima Curiae nostrae Reformatione, quam propediem imprimi edique curabimus ex aliorum Praedecessorum nostrorum, praesertim vero ex sanctionibus Jacobi Morigiae Cardinalis amplissimi, atque ex posterioribus Thomae Bonaventurae ex Comitibus Gherardeschae decretis (*a*) concinnatam, praeter nonnulla aut immutata, aut etiam addita a Nobis pro temporum conditione; eique in omnibus iis, quae ad Forum nostrum caussasque pertinent pertractandas inviolabiliter volumus inhaereri.

CAPUT XIX.

DE CONSTITUTIONIBUS.

De Personis, de Rebus, et de Judiciis ea Divina favente gratia decrevimus, quae ad Nos visa sunt pertinere, ut Dei Gloriam

(*a*) Synod. ann. 1710. Tit. *De judic* per tot.

in Dioecesi nostra magis in dies promoveremus; Christianaeque, ac praesertim Ecclesiasticae disciplinae obtineremus reformationem. Nunc vero nequid omnino Pastoralem nostram effugiat sedulitatem ac vigilantiam, id superest unum, ut Legem quodammodo de Legibus nostris feramus.

1. Quidquid igitur in utraque Provinciali Synodo Florentina (*a*) Venebariles Patres nostri, quorum memoria in benedictione est, salubriter statuerunt approbamus quam libentissime, et quatenus opus sit, confirmamus. Ea vero, quae ceteri Praedecessores sanxerunt, recipimus et admittimus, nisi Nostris hisce repugnent constitutionibus, ex illis, quae sub Thoma ex Comitibus Gherardeschae Praedecessore immediato latae fuerunt, depromptis; paucis solummodo exceptis, quibus a Nobis corruptelas jam inveteratas, et novas quotidie succrescentes omni conatu evellere cupientibus derogatum est.

2. Quotiescumque in Transgressores nullae sancitae sunt peculiares poenae; Nostro, et Successorum nostrorum arbitrio poenae impositio intelligitur reservata.

3. Quum vero unde Jus prodit, inde quoque par sit, ut Juris procedat interpretatio (*b*); si quam super his nostris Synodalibus Decretis dubitationem cuiquam nasci contigerit, ad recipiendam de eo, quod non intelligunt (*c*), rationem ad Nos, seu Successores nostros conveniant omnes, adempta prorsus cuilibet inferiori ea auctoritative interpretandi, declarandique facultate. Haec autem Decreta Legis vigorem nolumus obtinere, nisi duobus ab impressione Synodalium constitutionum exactis mensibus.

4. Suscipiat igitur Grex dilectissimus de ore Nostro (*d*) volumen Legis hujus; (*e*) et universum mandatum opere complens (*f*) Legem custodiat, atque consilium (*g*) ad suscipiendam eruditionem doctrinae, justitiam, et judicium, et aequitatem (*h*).

5. Ne vero contingat, ut ea, quae a Nobis posita sunt in aedifi-

(*a*) Ann. 1517. sub. Jul. De Med. S. R. E. Vicecanc. Archiep. Florent. Ann. 1573. sub Anton. Altov. Archiep. Florent.

(*b*) Leg. 1. Leg. *Sacratissima*. Leg. fin. Cod. *De leg*. Cap. *Inter alias*. *De sent. excomm.*

(*c*) Can. *Nec licuit* dist. 17.

(*d*) Job 22. 22.

(*e*) Jos. 1. 18.

(*f*) Jos. 22. 5.

(*g*) Prov. 3. 21.

(*h*) Prov. 1. 3.

Digitized by Google

cationem populorum, lapis offensionis et petra scandali fiant in ruinam multorum, significamus tunc solum lethale peccatum ex violatione Nostrarum constitutionum induci, quum eo tenore verborum expressa est constitutio violata, ut ex communi Doctorum sententia gravem parendi obligationem importet in foro conscientiae.

6. Pro foro tamen externo, quoniam Nos infirmi sumus, et parum sufficientes operari ex Nobis, si filius Noster quandoque (quod absit) protervus et contumax sit (*a*) monita Nostra audire contemnens; ideo hanc Decretorum nostrorum seriem ex rectae fidei, vel pietatis, ac justitiae fonte manantem (*b*) Orthodoxo ac religiosissimo Principi, Etruriae Regio Moderatori impensissime commendamus, et ubi Nostrae deficiant vires, ut hanc protegat, et ab aemulis benigne defendat, obsecramus enixius.

7. Demum, quum nulli dubium sit, quod Apostolica Ecclesia Mater est omnium Ecclesiarum (*c*), atque Magistra; ejus emendationi, auctoritati, judicio supremo quidquid per has constitutiones sancitum est, subjicimus totum obsequentissime.

(*a*) Deut. 19. 20.
(*b*) Conc. Tolet. ann 653 act. fin.
(*c*) Can. 1. Dist. 12. cum concord.

TITULUS IV.

DE DIVERSIS ECCLESIASTICIS OFFICIIS.

CAPUT UNICUM.

Quum inter multiplices curas, quibus jampridem ad aggrediendam Synodi hujus celebrationem excitabamur assidue, ea fere praecipua fuerit, ut juxta laudabiles sacrorum Canonum Constitutiones (*a*), vetereinque consuetudinem Praedecessorum nostrorum, insignes pietate ac doctrina viros destinaremus, qui Nobis pro commissi cuique muneris varietate, rei Ecclesiasticae bene gerendae, et administrandae Dioecesi praesto essent, libenter ad eos accedimus designandos; enixe orantes commonentesque unumquemque, ut non inanis gloriae cupidus, non personarum acceptor effectus, sed partibus suis fideliter exequendis unice intentus, nihil unquam quod revelaverit caro et sanguis, sed quod acceptum esse noverit coram Deo, perficiat omni tempore. Quemadmodum autem ii omnes in partem ministerii a Nobis vocati, honoris gradu praeeminent toti Clero: ita studeant meritorum cumulo praelucere; unaque Nobiscum ad incrementum Divinae gloriae, et ad Florentinae decus Ecclesiae, quantum humana infirmitas patitur, alacriter collaborent. Interea meminerint Examinatores recens electi, jurandum sibi esse ad sancta Dei Evangelia (*b*), se quacumque humana affectione postposita curaturos, ut admittantur ad sacros gradus suscipiendos idonei (*c*), et rejiciantur indigni.

(*a*) Can. Episcopus. 35. quaest. 6. Cap. *Statutum*. *De rescript*. in 6. Trid. sess. 25. De ref. cap. 10. Greg. XV. Const. *Sanctissimus* edit. ann. 1621.

(*b*) Trid. sess. 23. cap. 18. De ref.

(*c*) Can. *Quando* dist 23.

§. I.

EXAMINATORES SYNODALES.

DIGNITATES ET CANONICI ECCL. NOSTRAE METROPOL.

Dom. Vicarius Generalis pro tempore existens.
Dom Ubaldinus Ubaldini Archidiaconus.
Dom. Cajetanus Bonsig. Ridolfi Archipresb. in Acad. Flor. pub. Prof.
Dom. Leonardus Dantes Gianfigliazzi Decanus.
Dom. Nuntiatus Spinelli Praepositus.
Dom. Joseph Maria Venturi Subdecanus.
Dom. Ferdinandus Biliotti Lector S. *Theologiae.*
Dom. Marcus Antonius de' Mozzi in Academia Florentina Publicus Professor.
Dom. Horatius Mazzei Poenitentiarius.
Dom. Alexander Gianfigliazzi Hospitalar. S. Mariae Innocentium.
Dom. Dominicus de' Bardi Vicarius Generalis Fesulanus.
Dom. Cajetanus Dominicus Gaetani.
Dom. Joannes Joseph Viviani.
Dom. Joseph Antonius Scarlatti.
Dom. Antonius Altoviti.
Dom. Joseph de' Nobili.
Dom. Comes Gherardus de Gherardescha.
Dom. Joseph Suarez della Conca Eques S. Stephani.
Dom. Salvinus Salvini.
Dom. Antonius Narvaez Saavedra
Dom. Jacobus Gianfigliazzi.
Dom. Philippus Martini Auditor Apostolicae Nunciaturae.
Dom. Carolus Rupertus Squarcialupi olim Dati.
Dom. Alphonsus Alamanni
Dom. Bernardus Maria Martelli.
Dom. Franciscus Ginori.
Dom. Joseph Melchior Antinori.
Dom. Joannes Vincentius Capponi.
Dom. Odoardus Gabburri.
Dom. Joannes Georgius Alberti Coadjutor S. Theologiae Lector.
Dom. Philippus Maria Gondi Coadjutor.
Dom. Cursus Attho de' Ricci Coadjutor Poenitentiarius.

EX CLERO SECULARI.

D. Albertus Bertini S. T. D. Plebanus S. Stephani de Caprajā.
D. Andreas Brogiani S. T. D.
D. Andreas Polidori J. U. D., et Archipresbyter Colleg. Empor.

D. Angelus Maria Ricci S. T. D. et in Florent. Acad. publ. Professor.
D. Antonius Philippus Vergelli J. U. D.
D. Antonius Maria Biscioni S. T. D.
D. Antonius Ulivieri J. U. et S. T. D. publ. Prof. in Pis. Univ. et Rect. Coll. Ferd.
D. Antonius Philippus del Soglia S. T. D. et Rector Eccles. S. Mariae a Greve
D. Antonius Maria Scarlatti S. T. D.
D. Antonius Gaspar Franchi S. T. D.
D. Antonius Bartholomaeus Cateni S. T. D.
D. Antonius Franciscus Gori S. T. D. publ. Profes. in Acad. Florent.
D. Antonius Joseph Branchi J. U. D. publ. Profess. in Pisana Universitate.
D. Antonius Benedictus Brandini J. U. D.
D. Antonius Maria Brizzelli S. T. D.
D. Cajetanus Sandrini S. T. D. Plebanus S. Mariae de Carraja.
D. Caietanus Joseph. Moniglia publ. Professor in Acad. Florent.
D. Carolus Bindi S. T. D.
D. Dominicus Righini S. T. D.
D. Dominicus Cianfogni J. U. D. Canonicus Colleg. Eccles. S. Laurentii.
D. Ferdinandus Petri S. T. D. Canon. S. Fridiani
D. Ferdinandus Petrini S. T. D.
D. Franciscus Poggini S. T. D. Seminarii Magister.
D. Franciscus Dini S. T. D. Canonicus Fesulanus.
D Federicus Banchi S. T. D. Prior S. Stephani a Lucignano.
D. Galeazzus Antonius Guerrini J. U. D. Plebanus S. Laurentii a Montefiesole.
D. Hercules Victorius Figliucsi J. U. D. Decanus Eccles. Colleg. Emporii.
D. Hippol. M. Rosselli S. T. D. publ. Prof. in Acad. Flor Prior Ec. S. Felicit.
D. Hyacinthus Tosi J. U. et S. T. D. Prior Eccl. S. Jo. Evang. de Montelupo.
D. Jacobus Panicacci J. U. D.
D. Jo. Andreas Pini J. U. D. Reg. Cel. M. D. Audit. Prior Hospit. S. Matthaei.
D. Joannes Antonius Sarchi J. U. D.
D. Joannes Baptista Comparini S. T. D.
D. Joannes Baptista Minghetti S. T. D.
D. Joannes Bonaventura Farsi S. T. D. Plebanus S. Stephani de Campoli.
D. Jo. Cajetanus Bottari S. T. D. in Archigymn. Rom. pub. Profes.
D. Joannes Carolus Barsotti S. T. D. et Lector in Seminario.
D. Jo. Felix Bizzarrini J. U. D. et Rector Eccles. S. Mich. a Monte. Ripaldi.
D. Joannes Franciscus Pieralli S. T. D.
D. Joannes Franciscus Zelli S. T. D.
D. Jo. Paulus Gualtieri J. U. D. et publ. Prof. in Pis. Univ.
D. Joseph Ciampelli J. U. D.
D. Joseph Frati S. T. D.
D. Joseph Maria Brocchi S. T. D. Rector Seminarii Clericorum.
D. Joseph Maria Poggini S. T. D. et Canonicus Colleg. Empor.
D. Joseph M. Rossi S. T. D. publ. Prof. in Acad. Flor. in Metr. Mag. Chori.
D. Joceph Maria S. T. D.
D. Joseph Melis J. U. T.
D. Joseph Pistolesi S. T. D. Prior Eccles. SS. Apostolorum.

Digitized by Google

D. Julius Caesar Franc. Filippini J. U. D. et publ. Profes. in Pis. Univ.
D. Laurentius Benini S. T. D.
D. Laurentius Maria Lapi S. T. D. et Lector in Seminario.
D. Laurentius Nati S. T. D. et Plebanus S. Hippolyti de Bibbiena.
D. Leopoldus Tonelli S. T. D.
D. Lucas Joseph Cerracchini S. T. D.
D. Matthias Tozzi J. U. D.
D. Nicolaus Cajetanus Soei S. T. D. Plebanus S. Petri in Vaglia.
D. Nicolaus Maria Carlieri S. T. D.
D. Paulus Sebastianus Medici S. T. D. et publ. Prof. in Acad. Flor.
D. Petrus Antonius Guiducci S. T. D. Plebanus S. Mariae de Decumano.
D. Petrus Maria Mazzei S. T. D. et Prior S. Martini a Gangalandi.
D. Petrus Mengoni S. T. D.
D. Petrus Nicolaus Galletti S. T. D.
D. Petrus Paulus Vestri S. T. D.
D. Philippus Picchianti S. T. D. Plebanus S. Petri a Ripoli.
D. Stephanus Arriani S. T. D. Prior S. Mariae a Cortenuova.
D. Thomas Gambassini J. U. D. Plebanus S. Juliani ad Septimum.

EX CLERO REGULARI

ABBATIÆ FLORENT.

CONGREGATIONIS CASSINENSIS.

P. D. Seraphinus Tansi Abbas.
P. D. Anselmus Pelliccioni Abbas.
P. D. Bernardinus Savini Abbas.
P. D. Marcus Gualtieri Abbas.
P. D. Felix Roncalli Prior.
P. D. Virginius Valsecchi Prior, et publ. Prof. in Pis. Universitate.
P. D. Petrus Aloysius della Torre Prior, et S. C. Vis. Ap. Consultor.
P. D. Stephanus Joseph Trenta publ. Prof. in Pisana Universitate.
P. D. Andreas Barli.
P. D. Archangelus Franceschini.
P. D. Gualbertus Beccari.
P. D. Deodatus Bartolini.
P. D. Isidorus Ruschi.
P. D. Thomas Trenta.
P. D. Petrus Baldoriotti.
P. D. Octavius Benedictus Rustici S. T. Lector.
P. D. Joannes Baptista Rota.
P. D. Bernardinus Ranieri T. M. Lector.

CONGREGATIONIS CAMALDULENSIS.

P. D. Guido Grandi Abbas Visitator, et publ. Prof. in Pisana Univ. S. T. D.
P. D. Bonifacius Fei Abbas S. Mariae Angelorum.
P. D. Marinus Martini Abbas.
P. D. Zenobius Valmori Abbas.
P. D. Silvanus Ciapetti Abbas S. T. D.
P. D. Paulus Antonius Ligi Abbas S. T. D.
P. D. Martinus Angelus Martini Prior.
P. D. Paulus Orlandini S. T. Lector.
P. D. Petrus Paulus Naccherelli.
P. D. Rubertus Gotti.
P. D. Deodatus Cantieri S. T. D.
P. D. Bartholomaeus Venturini.
P. D. Ramirus Consorti.
P. D. Ricciardus Balsamini Philosophiae Lector.

CONGREGATIONIS VALLIS UMBROSAE.

P. D. Hieronymus Parenti Abbas S. Pancratii Ex-generalis.
P. D. Clemens Testi Abbas SS. Trinitatis.
P. D. Mercurialis Prati Abbas.
P. D. Bruno Tozzi Abbas.
P. D. Marcus Pesoi Abbas.
P. D. Didacus Colombani Abbas S. T. D.
P. D. Carolus Augustinus Sergiusti Abbas.
P. D. Fulgentius Nardi Abbas.
P. D. Theuzzo Dolci Abbas.
P. D. Franciscus Maria Romani Abbas S. T. D.
P. D. Hermenegildus Paoletti Abbas.
P. D. Thesaurus Ceccatelli S. T. D.
P. D. Guilelmus Dolci S. T. D. et publ. Prof. in Acad. Flor.
P. D. Petrus Franciscus Peri S. T. D.

CONGREGATIONIS CISTERCIENSIS.

P. D. Joannes Gualbertus Foli Abbas. et Praesidens Generalis.
P. D. Bernardus Barberi Abbas.
P. D. Gerardus Cinelli Abbas.
P. D. Theodorus Davanzati Abbas.
P. D. Gervasius Bernucci Abbas.
P. D. Bernardus Bagniuoli.

Digitized by Google

CONGREGATIONIS COELESTINORUM.

P. D. Joannes Baptista Gabricci Vicarius.
P. D. Ferdinandus Palazzi.
P. D. Benedictus Arseni.
P. D. Amadeus Imperati.

CONGREGATIONIS OLIVETANAE.

P. D. Desiderius Ferreri Abbas.
P. D. Dominicus Asplanati Abbas.
P. D. Rupertus Felix Sassatelli Abbas.
P. D. Julius Mucettola Abbas.
P. D. Raymundus de Mata Abbas.
P. D. Andreas Coreggio.
P. D. Bonaventura Battazzi.
P. D. Nicolaus del Sera.
P. D. Ildephonsus Ginori.
P. D. Carolus Franciscus Confalone.

ORDINIS PRAEDICATORUM.

P. M. Fr. Dominicus Mignanelli Prior.
P. M. Fr. Jacobus Spenditori.
P. M. Fr. Franciscus Orlendi publ. Prof. in Pisana Universitate.
P. M. Fr. Archangelus Maria Tommasi.
P. M. Fr. Aloysius Nardi.
P. L. Fr. Joseph Baptista Serrati.
P. L. Fr. Thomas Sandrini.
P. L. Fr. Sebastianus Mazzarri Exvic. Gener.
P. L. Fr. Joannes Baldinucci.
P. L. Fr. Antonius Dionigi.
P. L. Fr. Antonias Picrozzi.
P. L. Fr. Angelus Ginori.
P. L. Fr. Seraphinus Maria Loddi.
P. L. Fr. Seraphinus Maria Luculesi.
P. L. Fr. Thomas Vincentius Moniglia.
P. L. Fr. Carolus Philippus Berta.
P. L. Fr. Joseph Maria a Verrazzano.

ORDINIS SERVORUM B. M. V.

P. M. Fr. Joannes Joseph Maria Migliorati Provincialis, et S. T. D.
P. M. Fr. Horatius Maria Campiglia Prior, et S. T. D.

P. M. Fr. Gherardus Capassi Ex-generalis S. T. D. in Pisana Universitate publ. Profes. Sacrae Militaris S. Stephani Religionis Theologus, S. C. Indicis Consultor.
P. M. Fr. Joannes Baptista Biscardi S. T. D.
P. M. Fr. Joannes Vincentius Maglietti S. T. D.
P. M. Fr. Joachim Maria Gucci.
P. M. Fr. Angelicus Maria Gucci.
P. M. Fr. Paulus Sebastianus Maria Arrighi S. T. D.
P. M. Fr. Jacobus Maria Campiglia S. T. D.
P. M. Fr. Eliseus Maria Lacchini S. T. D.

ORDINIS CARMELITARUM.

P. M. Fr. Petrus Thomas Chiostri S. T. D.
P. M. Fr. Petrus Andreas Lombardi S T. D.
P. M. Fr. Joseph Antonius Nozzi S. T. D.
P. M. Fr. Ferdinandus Ghinetti S. D. D.
P. M. Fr. Franciscus Ghinetti S. T. D.
P. M. Fr. Andreas Messeri S. T. D.
P. M. Fr. Benedictus Ricci S. T. D.
P. M. Fr. Antonius Peri S. T. D.
P. M. Fr. Bernardus Luigi.
P. M. Fr. Laurentius Gaspar Masini S. T. D.
P. M. Fr. Vincentius Maria Lastri S. T. D.

CONGREGATIONIS MANTUAE.

P. M. Fr. Dominicus Monti.
P. M. Fr. Joannes Franciscus Jori.
P. M. Fr. Albertus Lombardi.
P. M. Fr. Angelus Cajetanus Giunti.
P. M. Fr. Petrus Paulus Malesci.
P. M. Fr. Joseph Biondi.
P. L. Fr. Albertus Stefanini.

CARMELITAE EXCALCEATI.

P. Fr. Nicolaus a S. Laurentio Provincialis, et publ. Prof. in Pis. Univ.
P. Fr. Bartholomaeus a S. Hieronymo Prior.
P. Fr. Benedictus a S. Marco.
P. Fr. Franciscus Maria a S. Ambrosio.
P. Fr. Valerius a S. Laurentio.
P. Fr. Elias a S. Joseph.
P. Fr. Alexius a S. Antonio.
P. Fr. Petrus de Alcantara a S. Joseph.
P. Fr. Aloysius a S. Thoma Aquinate.

Digitized by Google

P. Fr. Simon a S. Lino.
P. Fr. Joseph Ignatius a S. Raynerio.

ORDINIS EREMITARUM S. AUGUSTINI.

P. M. Fr. Joseph Maria Valenzi Prior S. T. D.
P. M. Fr. Benedictus Bastremi S. T. D.
P. M. Fr. Joannes Antonius Puccini S. T. D.
P. M. Fr. Michael Augustinus Migliorati S. T. D.
P. M. Fr. Antonius Mascalchi S. T. D.
P. M. Fr. Lucas Pantani S. T. D.
P. M. Fr. Augustinus Cecchi S. T. D.
P. Regens Fr. Joannes Laurentius Berti.
P. Regens Fr. Thomas Barbieri.

CONGREGATIONIS ILICETANAE.

P. M. Fr. Philippus Leonardi.
P. M. Fr. Joseph Digerini.

CONGREGATIONIS LOMBARDIAE.

P. L. Fr. Hermenegildus Ubaldini Prior.
P. L. Fr. Joseph Maria Morosini.

ORDINIS MINORUM CONVENTUALIUM S. FRANCISCI.

P. M. Fr. Franciscus Antonius Giorgi Guardianus.
P. M. Fr. Thomas Rossi.
P. M. Fr. Franciscus Angelus Cattani.
P. M. Fr. Carolus Angelus Mazza.
P. M. Fr. Leonardus Donnini publ. Profes. in Pisana Universitate.
P. M. Fr. Antonius Maria Sabatini S. T. D.
P. M. Fr. Pandulphus Donnini.
P. M. Fr. Benvenutus Benvenuti.

ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI DE OBSERVANTIA.

P. Fr. Cosmus Antonius de Florentia Provincialis.
P. Fr. Angelus Seraphinus de Florentia.
P. Fr. Vincentius de Pomezana a Confessionibus Reg. Cel M. Ducis.
P. Fr. Michael Angelus de Florentia.
P. Fr. Antonius de S. Cruce
P. Fr. Fulgentius de Massa.
P. Fr. Thomas Felix de Castro Franco.
P. Fr. Cherubinus de Florentia.

Digitized by Google

P. Fr. Benedictus Maria de Florentia.
P. Fr. Guido de Florentia.
P. Fr. Angelus Cherubinus de Florentia.
P. Fr. Thomas Maria de Florentia publ. Prof. in Pisana Universitate.

ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI STRICTIORIS OBSERVANTIAE.

P. Fr. Dorotheus de Florentia Guardianus.
P. Fr. Antonius Franciscus de Marino.
P. Fr. Venantius de Florentia.
P. Fr. Pius de Florentia.
P. Fr. Joseph de Terrinca.
P. Fr. Casimirus de Florentia.
P. Fr. Raymundus de Florentia.
P. Fr. Joannes Gualbertus de Fesulis.
P. Fr. Candidus de Florentia.
P. Fr. Bernardus de Florentia.
P. Fr. Onuphrius de Premalcore.
P. Fr. Bonaventura de Biella.
P. Fr. Julius de Varallo.
P. Fr. Seraphinus de Codogno.

SOCIETATIS JESU.

P. Thomas Silotti Provincialis.
P. Hieronymus Ridolfi Rector Collegii.
P. Thomas Capecci.
P. Petrus Fabbri.
P. Cajetanus Giacomini.
P. Joseph Scapecchi.
P. Franciscus Xaverius Egidij.
P. Hortensius Balestrieri.
P. Marius Corsoni.
P. Joannes Baptista Pagani.
P. Franciscus Maria Onorati.
P. Julius Fracassini.
P. Petrus Paulus de Olivares.
P. Joannes Carolus Pallavicino
P. Petrus Antonius Antinori.
P. Pompejus Franchi.
P. Angelus Pierantoni.
P. Joseph Maria Farina.
P. Franciscus Maria Tenderini.
P. Franciscus Joseph Sannazzari.
P. Petrus Joseph Petrucci.
P. Dominicus Antonius Leoncini.
P. Hyacinthus Maria Triva.

ORDINIS THEATINORUM.

P. Franciscus Maria Donati Praepositus.
P. Petrus Franciscus Schiauteschi
P. Angelus Franciscus Vanni.
P. Antonius Maria Donati.
P. Joseph Maria Campagna.
P. Petrus Cajetanus Masetti.
P. Joannes Baptista Caraccioli publ. Prof. in Pisana Universitate.
P. Joannes Uguccioni.
P. Aloysius Ugueccioni.
P. Aloysius Graziani.
P. Nicolaus Cajetanus Sangiuliani S. T. Lector.
P. Joseph Maria Pancrazi.
P. Cajetanus Joseph Schianteschi.

BARNABITAE.

P. Julius Bramieri Praepositus.
P. Petrus Maria Conti.

ORDINIS MINIMORUM.

P. Fr. Hyacinthus Vezzoni Provincialis.
P. Fr. Joseph Maria Carpi.
P. Fr. Joseph Maria Visini.
P. Fr. Thomas Silvestri.
P. Fr. Benedictus Maria Guidi.
P. Fr. Joseph Ferdinandus Stracchini.

ORDINIS S. JOANNIS DE DEO.

P. Felix Joseph Costa.
P. Joannes de Deo Arriani.

ORDINIS MINISTRANTIUM INFIRMIS.

P. Augustinus Giannoni Praefectus.
P. Stephanus Belatti.
P. Joannes Franciscus Torre.

ORDINIS SCHOLARUM PIARUM.

P. Franciscus Maria Balestri a S. Joseph Praepositus Provincialis.
P. Cajetanus Buonlieti a S. Joanne Baptista Rector Domus professae.
P. Eugenius Orlandi a S. Sylverio.

P. Eugenius Orlandi a S. Sylverio.
P. Octavius Mancini a S. Leandro.
P. Joannes Gualbertus Conti a S. Sigysmundo.
P. Alexander Positi a S. Sigysmundo.
P. Joannes Joseph Cremona a S. Francisco.
P. Ferrantes Moniglia a S. Nicolao
P. Joannes Antonius Petrocchi a S. Anna.
P. Ubaldus Velluti a S. Telmo.
P. Vincentius Talenti a S Philippo Nerio.
P. Eduardus Corsini a S. Silvestro.

ORDINIS CAPPUCCINORUM

P. Fr. Antonius a Florentia Guardianus.
P. Fr. Rubertus a Florentia Vicarius.
P. Fr. Pilippus a Florentia Lector.
P. Fr. Ludovicus a S. Petro a Sieve Lector.
P. Fr. Laurentius a Montevarchio.

AUGUSTINIANI EXCALCEATI.

P. Fr. Raphael ab Assumptione.
P. Fr. Marcellinus a B. Clara.
P. Fr. Hilarius a Conceptione.
P. Fr. Joannes Joseph a B. Virgine
P. Fr. Gherardus a S. Teresia.
P. Fr. Patritius a S. Laurentio.
P. Fr. Cyprianus a S. Cruce.

§. II.

JUDICES SYNODALES

CANONICI ECCLESIAE METROPOLITANAE.
OMNES I. U. D. D. PROTONOTARII APOSTOL.

Dom. Vicarius Generalis pro tempore existens.
Dom. Ubaldinus Ubaldini Archidiaconus.
Dom. Nuntiatus Spinelli Praepositus.
Dom. Horatius Mazzei Poenitentiarius.
Dom, Alexander Qianfigliazzi.
Dom. Dominicus de' Bardi.
Dom. Cajetanus Dominicus Gaetani.
Dom. Joannes Viviani,
Dom. Antonius de' Ricci.
Dom. Joseph Antonius Scarlatti.
Dom. Antonius Altoviti.

Dom. Joseph de Nobili.
Dom. Gherardus della Gherardesca.
Dom. Joseph Suarez.
Dom. Antonius Narvaez.
Dom. Jacobus Gianfigliazzi.
Dom. Philippus Martini.
Dom. Carolus Rupertus Dati nunc Squarcialupi.
Dom. Alphonsus Alamanni.
Dom. Franciscus Ginori.
Dom. Joseph Melchior Antinori.
Dom. Joannes Vincentius Capponi.
Dom. Odoardus Gabburri.
Dom. Philippus Maria Gondi.
Dom. Cursus Attho de' Ricci.

D. Antonius Brandini J. U. D. et Prot. Ap.
D. Antonius Fiani J. U. D. et Prot. Apost.
D. Antonius Philippus Vergelli I. U. D. et Prot. Apost.
D. Antonius Ulivieri J. U. D. et Prot. Apost.
D. Cajetanus Joseph Moniglia J. Canonici publ. Prof. et Prot. Apost.
D. Christophorus Cosci J. U. D. et Prot. Apost.
D. Hyacinthus Tosi J. U. D. et Prot. Apost.
D. Jacobus Agnini J. U. D. et Prot. Apost.
D. Joannes Andreas Pini J. U. D. et Prot. Apost.
D. Joannes Antonius Baroncini J. U. D. et Prot. Apost.
D. Ioannes Felix Bizzarrini J. U. D. et Prot. Apost.
D. Joannes Philippus Paperini J. U. D. Prot. et Apost. Nunciat. Aud.
D. Joannes Paulus Gualtieri J. U. D. et Prot. Apost.
D. Joseph Calvani J. U. D. Vicarius Gen. Aretinus, et Prot. Apost. nunc. Aud. Emin. Card. Guadagni Vicarii Gen. SS. D. P. Clementis XII.
D. Joseph Ciampelli J. U. D. et Prot. Apost.
D. Joseph Melis J. U. D. et Prot. Apost.
D. Julius Caesar Franciscus Filippini J. U. D. et Prot. Apost.
D. Matthias Tozzi J. U. D. et Prot. Apost.
D. Nicolaus Carlesi J. U. D. et Prot. Apost.
D. Petrus Philippus Strozza J. U. D. et Prot. Apost.

§. III.

JUDICES CONSERVATORES.

Illustrissimus et Reverendissimus Dominus JOSEPH MARIA MARTELLI *Archiepiscopus Florentinus.*
Dom. Vicarius Generalis pro tempore existens.

OMNES CANONICI FLORENTINI.

Dom. Ubaldinus Ubaldini Archidiaconus.

Dom. Leonardus Dantes Gianfigliazzi Decanus.
Dom. Nuntiatus Spinelli Praepositus.
Dom. Horatius Mazzei.
Dom. Alexander Gianfigliazzi.
Dom. Dominicus de' Bardi.
Dom. Cajetanus Dominicus Gaetani.
Dom. Joannes Viviani.
Dom. Antonius de' Ricci.
Dom. Philippus Martini.

§. IV.

CONSULTORES CONGREGATIONIS ORDINANDORUM.

CANONICI FLORENTINI:
Dom. Vicarius Generalis pro tempore existens.
Dom. Ubaldinus Ubaldini Archidiaconus.
Dom. Leonardus Dantes Gianfigliazzi Decanus.
Dom. Nuntiatus Spinelli Praepositus.
Dom. Alexander Gianfigliazzi.
Dom. Dominicus de' Bardi Congregationis Secretarius.
Dom. Cajetanus Dominicus Gaetani.
Dom. Joannes Viviani.

D. Hippolytus Maria Rosselli.
D. Joseph Pistolesi.
D. Joseph Maria Rossi.

§. V.

DEPUTATI CONGREGATIONIS SUPER SATISFACTIONE MISSARUM.

CANON. FLORENT.:
Dom. Nuntiatus Spinelli Secretarius.
Dom. Comes Thomas Maria Del Maestro.
Dom. Joseph Antonius Scarlatti.
Dom. Antonius Altoviti.
Dom. Joseph Melchior Antinori.

D. Antonius Philippus Vergelli.
D. Hippolytus Maria Rosselli.
D. Joseph Maria Rossi.
D. Joseph Maria Brocchi.

§. VI.

DEPUTATUS GENERALIS SUPER CONGREGATIONIBUS HABENDIS A PAROCHIS ALIISQUE.

Dom. Marcus Antonius de' Mozzi Canonicus Florentinus.

Digitized by Google

§. VII.

VISITATORES ORATORIORUM, CONFRATERNITATUM, ET CAPELLARUM

CANONICI FLORENTINI.

Dom. Cajetanus Bonsig. Ridolfi Archipresbyter.
Dom. Ferdinandus Biliotti.
Dom. Marcus Antonius de'Mozzi.
Dom. Philippus Maria de'Medici.
Dom. Cajetanus Dominicus Gaetani.
Dom. Joseph Antonius Scarlatti.
Dom. Antonius Altoviti.
Dom. Joseph de'Nobili.
Dom. Joseph Cattani.
Dom. Joseph Suarez.
Dom. Salvinus Salvini.
Dom. Jacobus Gianfigliazzi.

§. VIII.

DEPUTATI SUPER IMPOSITIONE

FLUMINUM.

CANONICI FLORENTINI

Dom. Joseph Maria Venturi Subdecanus.
Dom. Ferdinandus Biliotti.
Dom. Alexander Gianfigliazzi.
Dom. Augustinus Maria Cerretani.
Dom. Cajetanus Dominicus Gaetani.
Dom. Simon Ricasoli.
Dom. Joseph Cattani.
Dom. Carolus Rupertus Dati nunc Squarcialupi.
Dom. Bernardus Maria Martelli.
Dom. Julianus Philippus Rinuccini
Dom. Joannes Vincentius Capponi.

D. Joseph Maria Martellini Abbas S. Aegidii.
D. Angelus Dini.
D. Archangelus Hafner.
P. Abbas Septimi pro tempore existens.
P, Hieronymus Parenti Abbas S. Pancratii.
P. Antonius Franciscus Ara Min. Conventualis

Digitized by Google

§. IX.

XENODOCHIARII, ET REVISORES PRIORUM LOCORUM.

CANONICI FLORENTINI

Dom. Nuntiatus Spinelli Praepositus.
Dom. Marcus Antonius de' Mozzi
Io N. N. Curato della Chiesa di S. . . . . di . . . . attesto di avere in esecuzione dell' ordine dell'Illustrissimo e Reverendissimo Monsignore Arcivescovo Nostro in . . . . . . giorni festivi di precetto, cioè sotto li . . . . . *inter Missarum solemnia* denunziato nella mia Chiesa pubblicamente al Popolo, che N. N. figlio di N. N. di questa Parrocchia desiderava esser promosso nella prossima Ordinazione al Sacro Ordine del . . . . . a titolo di . . . . . e di avere esortato tutti a voler manifestare, se avessero avuto notizia e cognizione di qualche canonico impedimento, per lo quale non potesse esser promosso all' Ordine suddetto; e non essendosi scoperto impedimento, e stante i suoi legittimi Natali, la Vita e Costumi, e frequenza della Confessione e Comunione, de' quali ho preso diligente informazione, ho fatto la presente Fede sottoscritta di mia mano questo dì . . . . . Mese . . . . . Anno . . . . .

Io N. N. suddetto mano propria.

Quando occorra farsi dal medesimo Paroco, o da altra Persona l' attestazione di più Requisiti, potrassi fare in un medesimo foglio, e sotto una sola sottoscrizione, salve però sempre le respettive soprascritte Formule; purchè, contenendo la Fede *de vita et moribus*, questa sia giurata, e si trasmetta chiusa e sigillata.

Instructio Sacrae et Universalis Inquisitioni pro Matrimoniis exterorum, de qua in Synodo Tit. 11. *Cap. IX. num.* 10.

Cum alias per Sacram Congregationem S. Officii iteratis Instructionibus ab eadem emanatis de anno 1665., Locorumque Ordinariis transmissis, provisum fuerit, ut praescriptis Interrogatoriis fa-

Digitized by Google

ciendis Testibus, qui ad probandum statum liberum contrahentium Matrimonium inducuntur, omnis prorsus secluderetur aditus iis, qui adhuc vivente altero conjuge, aut alias impediti, ad secunda illicita vota transire satagebant; videns nihilominus SS. D. N. quamplures Locorum Ordinarios, vel eorum Vicarios et Deputatos ad excipiendas Testium Depositiones, necnon Parochos et Notarios in casibus expressis, aut omittere, aut non observare earumdem instructionum tenorem, et, licet aliquando plene observent, non tamen interrogare Testes super aliis impedimentis dirimentibus:

Ideo volens Sanctitas Sua praedictis malis occurrere, re mature considerata cum Eminentiss. et Reverendiss. DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, praesenti Decreto perpetuis futuris temporibus duraturo, iterum injungit omnibus Vicariis seu Deputatis pro examinandis Testibus ad probandum statum liberum contrahentium Matrimonium, necnon Parochis, Notariis, et quibuscumque aliis respective, sub poenis etiam gravibus corporalibus, arbitrio Sacrae Congregationis, ut Instructionem infrascriptam ad unguem observent.

Ut autem praesens Decretum, et Instructio ad omnium notitiam facilius deveniant, decrevit illa ad valvas Basilicae Principis Apostolorum, et Cancellariae Apostolicae, ac in acie Campi Florae de Urbe, ac Palatio S. Officii ejusdem Urbis, per aliquem ex Cursoribus Sanctitatis Suae publicari, ac eorum exempla ibidem affixa relinqui; illaque sic publicata omnes et singulos, quos concernunt, post duos Menses, a die publicationis in Urbe faciendae numerandos, perinde afficere et arctare, ac si illorum unicuique personaliter notificata et intimata fuissent.

Instructio pro Examine illorum Testium, qui inducuntur pro contrahendis Matrimoniis, tam in Curia Eminentissimi et Reverendissimi D. Cardinalis Urbis Vicarii, quam in aliis Curiis ceterorum Ordinariorum.

1. In primis Testis moneatur de gravitate juramenti, in hoc praesertim negotio pertimescendi, in quo divina simul, et humana majestas laeditur, ob rei, de qua tractatur, importantiam et gravitatem, et quod imminet poena triremium, et fustigationis deponenti falsum.

2. Interrogetur de nomine, cognomine, patria, aetate, exercitio, et habitatione.

3. An sit civis, vel exterus, et, quatenus sit exterus, quanto tempore est in Loco, in quo Testis ipse deponit.

4. An ad Examen accesserit sponte, vel requisitus; si dixerit accessisse sponte a nemine requisitum, dimittatur, quia praesumitur mendax; si vero dixerit accessisse requisitum, interrogetur a quo, vel a quibus, ubi, quando, quomodo, coram quibus, et quoties fuerit requisitus, et an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes.

5. Interrogetur, an sibi, pro hoc Testimonio ferendo, fuerit aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum a contrahere volentibus, vel ab alio, ipsorum nomine.

6. Interrogetur, an cognoscat ipsos contrahere volentes, et a quanto tempore, in quo Loco, qua occasione, et cujus qualitatis, vel conditionis existant.

Si responderit negative, Testis dimittatur; si vero affirmative;

7. Interrogetur, an contrahere volentes sint cives, vel exteri; si responderit esse exteros, supersedeatur in licentia contrahendi, donec per literas Ordinarii ipsorum contrahere volentium, doceatur de eorum libero statu, de eo tempore, quo permanserunt in sua Civitate, vel Dioecesi. Ad probandum vero eorumdem contrahere volentium statum liberum pro reliquo temporis spatio, scilicet usque ad tempus, quo volunt contrahere, admittantur Testes idonei, qui legitime et concludenter deponant statum liberum contrahere volentium, et reddant sufficientem rationem causae eorum scientiae, absque eo quod teneantur deferre Attestationes Ordinariornm Locorum, in quibus contrahere volentes moram traxerunt.

Si vero responderit contrahere volentes esse cives;

8. Interrogetur, sub qua Parochia hactenus contrahere volentes habitarunt, vel habitent de praesenti.

9. Item, an ipse Testis sciat aliquem ex praedictis contrahere volentibus quandoque habuisse Uxorem, vel Maritum, aut Professum fuisse in aliqua Religione approbata, vel suscepisse aliquem ex Ordinibus Sacris, Subdiaconatum scilicet, Diaconatum, vel Presbyteratum, vel habere aliud impedimentum, ex quo non possit contrahi Matrimonium.

Digitized by Google

Si Testis responderit non habuisse Uxorem, vel Maritum, neque aliud impedimentum, ut supra:

10. Interrogetur de caussa scientiae, et an sit possibile quod aliquis ex illis habuerit Uxorem, vel Maritum, aut aliud impedimentum etc. et quod ipse Testis nesciat:

Si responderit affirmative, supersedeatur, nisi ex aliis Testibus probetur concludenter non habuisse Uxorem, vel Maritum, neque ullum aliud impedimentum, etc.

Si vero respondetur negative,

11. Interrogetur de caussa scientiae; ex qua deinde Judex colligere poterit, an Testi sit danda fides.

Si responderit contrahere volentes habuisse Uxorem, vel Maritum, sed esse mortuos.

12. Interrogetur de Loco et tempore, quo sunt mortui, et quomodo ipse Testis sciat fuisse conjuges, et nunc esse mortuos. Et si respondeat mortuos fuisse in aliquo Hospitali, vel vidisse sepeliri in certa Ecclesia, vel occasione Militiae sepultos fuisse a Militibus, non detur licentia contrahendi, nisi prius recepto Testimonio authentico a Rectore Hospitalis, in quo praedicti decesserunt vel a Rectore Ecclesiae, in qua humata fuerunt eorum cadavera, vel, si fieri potest a Duce illius Cohortis, in qua descriptus erat Miles. Si tamen hujusmodi testimonia haberi non possunt, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quae de jure communi possunt admitti, dummodo sint legitimae et sufficientes.

13. Interrogetur, an, post mortem dicti Conjugis defuncti aliquis ex praedictis contrahere volentibus transierit ad secunda vota.

Si responderit negative,

14. Interrogetur, an esse possit, quod aliquis ex illis transierit ad secunda vota, absque eo quod ipse Testis sciat.

Si responderit affirmative, supersedeatur in licentia, donec producantur Testes, per quos negativa coarctetur concludenter.

Si vero negative,

15. Interrogetur de caussa scientiae; qua perpensa, Judex poterit judicare, an sit concedenda licentia, necne.

Si contrahentes sunt vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant per Fides Ordinariorum suorum esse liberos; et in aliis servata forma Concilii Tridentini in Cap. *Multi* sess. 24.

Digitized by Google

Fides, aliaque documenta, quae producuntur de partibus, non admittantur, nisi sint munita Sigillo et legalitate Episcopi Ordinarii, et recognita saltem per Testes, qui habeant notam manum et Sigillum: et attente consideretur, quod Fides, seu Testimonia bene et concludenter identificent personas, de quibus agitur.

Pro Testibus in hac materia recipiantur magis consanguinei, quam extranei, quia praesumuntur melius informati; et cives magis, quam exteri, nec admittantur homines vagi et milites, nisi data caussa, et maturo consilio: et Notarius exacte describat personam Testis, quem si cognoscit, utatur clausula; MIHI BENE COGNITUS: sin minus, examen non recipiat, nisi una cum persona Testis aliqua alia compareat cognita Notario, et quae attestetur de nomine et cognomine ipsius Testis, necnon de idoneitate eiusdem ad Testimonium ferendum. Et hujusmodi Examinibus debet interesse in Urbe, ultra Notarium, Officialis specialiter deputandus ab Eminentissimo Vicario, et extra Urbem, vel Vicarius Episcopi, vel aliqua alia persona insignis et idonea, ab Episcopo specialiter deputanda; alias puniatur Notarius arbitrio Sac. Congregationis, et Ordinarius non permittat fieri publicationes.

Ordinarii praecipiant omnibus et singulis Parochis in eorum Dioecesibus existentibus, ut pro Matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum Ecclesiis, nisi certiorato Ordinario, a quo, vel ejus Generali Vicario prius teneantur Fidem authenticam reportare, quod pro tali Matrimonio fuerunt examinati Testes in eorum Tribunali, qui probent statum liberum contrahere volentium, etc.

Contravenientes autem severe puuientur.

Franciscus Riccardus S: Rom. et Univers. Inquis. Notar.
Loco ✝ Sigilli.

Dubia aliquot circa exterorum Matrimonia cum responsionibus S. Congregationis.

Ordines ultimo loco ab Urbe emanati circa Matrimonia cum exteris contrahenda, inter alia disponunt, quod Ordinarii praecipiant omnibus et singulis Parochis in eorum Dioecesibus existenti-

bus, ut pro Matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant Publicationes in eorum Ecclesiis, nisi certiorato Ordinario, a quo, vel ejus Generali Vicario prius teneantur Fidem authenticam reportare quod pro tali Matrimonio fuerint examinati Testes in eorum Tribunali, qui probent statum liberum contrahere volentium.

1. Quaeritur, an illi ex Dioecesibus circumvicinis, et ipsi teneantur tales probationes facere, an vero sufficiat Fides denunciationum in eorum Dioecesibus factarum cum legalitate Ordinarii, et probatio eorum status post discessum ab ipsa Dioecesi.

Hujusmodi habentur pro exteris, et consequenter tenentur probationes facere.

2. Item, an contrahere volentes, in confinibus eorum Dioecesis habitantes, et ob vicinitatem, ab eorum Rectoribus cogniti teneantur easdem facere probationes, an vero sufficiant publicationes ab eorum Rectoribus faciendae.

Etiam isti tenentur facere probationes.

3. An easdem teneantur facere probationes ii, qui ante aetatem nubilem a propria Dioecesi discedentes, ad aliam se contulerunt, et in ea postmodum semper habitaverunt.

Non tenentur, quia non fuerunt extra Dioecesim tempore habili ad contrahendum.

4. An in Civitate, in qua Milites Hispani, Teutonici, Alemanni, et aliarum longinquarum Regionum residere solent, idem cum ipsis sit servandum; vel sufficiat probationes in ipsa Civitate recipere de eorum statu a Testibus ipsarum Regionum de negotio edoctis.

Tenentur facere probationes, juxta formam instructionis, quia isti facilius committunt Polygamiam.

5. An, facta per Parochum monitione Ordinario contrahere volentis, Fides status ejusdem sit ab eodem Parocho, vel a contrahere volente reportanda.

Tenetur Fidem reportare, et Parocho consignare is, qui vult Matrimonium contrahere; sed est in libertate Parochi hujusmodi onus in se assumere.

6. An eaedem probationes sint servandae in casu necessitatis, et ab existentibus in articulo mortis, sic contrahere volentibus.

Non sunt servandae in articulo mortis, intra quem scilicet probabiliter non adsit tempus sufficiens faciendi diligentias; cum hoc

etiam, quod si infirmus forte convaluerit, debeant fieri diligentiae juxta instructionem, antequam simul conveniant.

7. An requiratur Attestatio proprii Ordinarii pro exteris, qui per decem annos et ultra, domicilium acquisierunt in Loco, ubi sunt Matrimonium contracturi, si eorum status liber probetur per Testes fide dignos, tam originis, quam domicilii.

Requiritur.

8. An requiratur dicta Attestatio pro illis exteris, qui unicam, vel plures duxerunt, et e contra, si mortuae fuerint in Loco, ubi iterum Matrimonium contrahere desiderant, ac amplius post mortem a dicto Loco non discesserunt.

Requiritur pariter.

De Eccles. reparand. ut in Tit. III. Cap. III. Num. 1.

Ita in Concil. Prov. Flor. ann. 1517. Rubr. de Eccles. repar. cap. 1. „Quoniam divini cultus honor maxime conservatur in templis, oratoriis, aliisque sacrificio et orationibus deputatis locis, statuit et ordinavit sancta Synodus, tertiam partem reddituum ecclesiarum esse hypothecatam pro reparatione atque instauratione earum. Item quae pro ornamentis, calicibus, libris, atque aliis ad divinum cultum spectantibus: quando aliquo eorum indigent: posseque hujusmodi fructus per Ordinarios auctoritate propria capi, et converti in reparationem, aut ornatus: et alias praefatas necessitates, quando rector beneficii monitus per annum fuit negligens indicta reparatione facienda, aut in praefatis necessitatibus occurrendo. Quod ita sane intelligi voluit quando duae partes reddituum, quae supersunt, sunt sufficientes ad substentandum rectorem, vel alium, qui loco ejus Ecclesiae deserviat. Vivere enim in primis debent qui altari serviunt, de Ecclesiae redditibus, et si nihil ultra superest, parochiani vel patroni Ecclesiae onus hoc subire cogantur per Ordinarium. Eo quoque casu, quo quis per plures annos Ecclesiae ruinosae redditus percaepisset si Ecclesia ultra victum deservientis abundat, nec potest tertia reddituum parte reparari, Ordinarius possit dimidiam fructuum in Ecclesiae reparationem convertere.

De rebus Eccles. tuendis Tit. III. *Cap.* VI. *Num.* 9.

Noi Piero Niccolini per la grazia di Dio, e della Santa Sede Apostolica Arcivescovo Fiorentino, per levare ogni causa di querele a' successori ne' Benefizj Ecclesiastici, e a' predecessori torre ogni occasione di disertare, e spogliare i Beni delle lor Chiese, rinnovando il Decreto Sinodale del 1619. determiniamo, ordiniamo, e comandiamo, che niuno Benefiziato possa tagliare, o svellere per man sua, o d'altri di suo ordine dal terreno della sua Chiesa legname fruttifero, o che possa crescere a frutto, o non solito a tagliarsi, senza espressa licenza da ottenersi per ciaschedna volta in iscritto da Noi, o dal Vicario Nostro, eccettuando però i boschi, o prode di Querciuole, Castagni, Olmi, o Albereti, e simili, che sien tenuti, o a capitozze, o a polloneti, per tagli di legne o per lavori, non a far marroni, o ghiande; i quali boschi, prode o tagli de' soprannominati, o simili, debbano però esser tagliati a'debiti tempi, e stagioni secondo l'uso de'Paesi; dimodochè sieno in perfezione, verbigratia, di nove in dieci anni, e ne' Castagneti, o Albereti da far lavori di doghe, o tavole di venti, trenta, quaranta, e più anni, conforme al solito, purchè non segua anticipatamente di quello, che s'usa per gli altri buoni usufruttuari, fittajuoli, o prudenti Padri di famiglia. E così li tre, o i cinque anni respettivamente.

Proibiamo di più a' Parenti, o futuri Eredi, o in qualsivoglia modo agenti Laici, o Ecclesiastici di qualunque Benefiziato nel tempo, che egli abbia male pericoloso di morte, di non tagliare qualsivoglia sorta di legname nel modo, e forma di sopra proibito tagliarsi di su i Beni delle Chiese, sia venuto, o non venuto il tempo di tagliare, senza espressa licenza da ottenersi da Noi, o dal Nostro Vicario in iscritto. A' trasgressori; cioè tanto agli stessi Benefiziati, che loro Agenti imponghiamo le pene, prima della perdita di tutto quello, che taglieranno, o faranno tagliare; in oltre di scudi due per pianta fruttifera, o non solita da tagliarsi, e tagliata senza licenza in iscritto; e ne'boschi, e tagli fatti avanti al tempo per ogni volta di scudi dieci, e negli scopeti, o stipa di scudi tre per volta A' Parenti, Eredi, o in qualsivoglia modo Agenti per detti Benefi-

ziati, che nelle infermità gravi, nelle quali possano dubitare della morte del Beneliziato, trasgredissero in alcuno de'modi sopraddetti, oltre le sopraddette pene, aggiunghiamo contro di loro la Scomunica, da incorrersi ipso facto. E le pene pecuniarie, e valuta delle cose perdute da' trasgressori, ordiniamo, che si applichino, e si dividano la quarta parte all'accusatore palese, o segreto, la quarta agli esecutori, ed il restante, cioè la meta a' Luoghi Pii. Dichiarando però, che quel legname, il quale contro al presente Decreto avessero tagliato, e per la trasgressione perduto, i Parenti, Eredi, o Agenti del Benefiziato malato, e che di breve morisse di tal malattia, si acquisti, e vada in utile del Successore, che abbia azione di domandarlo ovunque si sia; e tutto in ogni miglior modo.

Instructio adversus simoniacos tribus diebus Festis statim facienda ab Oeconomo Ecclesiae ad quam praesentare Parochianorum est, de qua in Synodo Tit. III. Cap. VI. num. 13.

Essendochè sia rimasta vacante per la morte del Reverendo .... questa Chiesa Parrocchiale sotto il titolo ..... ec. la quale è data di Popolo; e dovendosi, a Dio piacendo, venir quanto prima all'elezione del nuovo Paroco, secondochè resterà stabilito dal Magistrato de'Sig. Nove: oltre al ricordare a tutti e a ciascheduno di quelli che devono intervenire alla nuova elezione, e concorrere col suo voto, l'obbligo strettissimo, che hanno in coscienza di posporre ogni affetto terreno, ed ogni mondano riguardo, e di scegliere tra tutti i pretendenti quello solamente, il quale dopo d'essersi consigliati, e fattavi Orazione (*a*), stimeranno secondo Iddio, il più abile per bontà, per dottrina e per esperienza, e il più capace di servir bene il Popolo nell'esercizio della Cura; Io di più come Economo, in esecuzione degli ordini espressi nel Sinodo del 1732. Titolo 3. Capitolo 6. Paragrafo *Interea*, fo noto pubblicamente, che chiunque mai avrà ardire (che Iddio non voglia) di dare il suo voto favorevole a chi direttamente o indirettamente da se, o per mezzo

(*a*) Cap. *Cum inter. De elect. etc.*

Digitized by Google

d'altri gli avesse promesso o dato a questo fine qualunque cosa, come danaro, Grano, Vino, Olio; o avrà fatto a questo effetto, desinari, cene, o altre mangiate, o data altra cosa minima temporale; o spirituale ancora, con promettere qualche numero di Messe, per esser preferito agli altri pretendenti, tirerà l'eterna maledizione d'Iddio (*a*) sopra di se, e della sua casa; e incorrerà subito nella Scomunico riservata al Sommo Pontefice (*b*), da non poterne restare assoluto, se non in punto di morte; e così in vita resterà privo dei Santissimi Sacramenti, e degli altri ajuti della Chiesa, e dopo morte resterà escluso dalla sepoltura Ecclesiastica, e dagli altri Suffragj comuni a tutti i Fedeli Cristiani. Oltrediché anche il Curato, che fosse eletto in un modo così ingiusto e iniquo sarebbe Scomunicato, e della Chiesa (*c*) e dell' entrate di quella (*d*), e inabile per l'avvenire a poterla mai più conseguire (*e*) la qual pena d'inabilità gli verrebbe anche stesa a qualunque altro Benefizio Ecclesiastico.

E tutto ec. in esecuzione ec.

Elenchus rerum omnium, quibus aedes Parochiales, postquam defunctus est Rector, relinqui debent instructae ab heredibus, de quibus
Tit. III. Cap. VI. num. 20.

Due Letti con Panchette e Tavole d'albero, sopra l' uno e l'altro de' quali sieno i Sacconi, uno con due Materasse e Piumaccio di lana, Panno e Coltrone, l'altro con una Materassa di lana e una di capecchio, con Panno pure o Coperta, tutta roba buona. Tutti gli Arnesi d'albero necessarj per una Casa; una Secchia di rame da pozzo, la Catena da fuoco, un pajo di Sgabelli, un pajo di Seggiole basse, tutti i Vasi da Vino, e da Olio di qualsivoglia sorte, i quali vi si trovassero; e queste cose vi devono restare; benchè il Paroco morto non avessele ricevute tutte dall' antecessore.

(*a*) Cap. *Perpetuo. De elect. etc.* in 6.
(*b*) Can. 1. 1. quaest. 3. Extrav: 2. *De Sim.*
(*c*) Cap. *Insinuatum. De Sim.*
(*d*) Cit. Extrav. 2.
(*e*) Cap. *Super eo. De elect. etc.*

Digitized by Google

Norma conficiendi quotannis in unaquaque Parochia statum animarum, de quo in Synodo Tit. III. Cap. IX. num. 12.

Stato dell' Anime della Parrocchia di S. N. N. di Firenze fatto nell' anno . . .

In questa Parrocchia ritrovo quest' anno esserci il numero d' anime infrascritto.

Case	n.	260.		
Famiglie	n.	395.		
Maschi secolari in tutto.	n.	——	— n.	834.
De' quali Maschi secolari da 15. ann. in sù.	n.	— n.	660.	
Da 15. anni in giù	n.	— n.	174.	
E de' medesimi idonei alla Comunione	n.	718.		
Non idonei alla Comunione	n.	116.		
Femmine secolari in tutto	n.	— n.	998. n.	998.
E delle medesime idonee alla Comunione	n.	889.		
Non idonee alla Comunione	n.	109.		
Sacerdoti secolari	n.	— n.	36. n.	36.
Cherici secolari	n.	— n.	22. n.	22.
Religiosi in tutto	n.	——	— n.	168.
Cioè				
Monaci N. N.	n.	— n.	45.	
P. P. N. N.	n.	— n.	13.	
P. P. N. N.	n.	— n.	110.	
Religiose in tutto	n.	——	— n.	54.
Cioè				
Monache N. N.	n.	— n.	26.	
Monache N. N.	n.	— n.	28.	
Spedali, e Conservatorj in tutto	n.	——	— n.	1057.
Cioè				
Spedale N. N.	n.	— n.	200.	
Spedale N. N.	n.	— n.	800.	
Fanciulle del Conservatorio	n.	— n.	57.	
Meretrici	n.	7.		
Peccatori pubblici	n.	4.		
Eretici	n.	— n.	12 n.	12.
Ebrei	n.	— n.	63.	63.
Anime in tutto	n.	——	3244.	3244.

Io N. N. Paroco di S. N. N. mano propria.

Stato dell' Anime della retroscritta Parrocchia, che abitano fuori della Porta N. N.

Case	n.	5.		
Famiglie	n.	5.		
Maschi secolari in tutto	n.	——	— n.	16.
De' quali Maschi secolari da 15. anni in sù	n.	— n.	8.	
Da 15. anni in giù	n.	— n.	8.	
E de' medesimi idonei alla Comunione	n.	12.		
Non idonei alla Comunione	n.	4.		
Femmine secolari in tutto	n.	— n.	11. n.	11.
E delle medesime idonee alla Comunione	n.	8.		
Non idonee	n.	3.		
Sacerdoti secolari se ve ne sieno	n.	——	——	——
Cherici secolari se ve ne sieno	n.	——	——	——
Religiosi se ve ne sieno	n.	——	——	——
Anime in tutto	n.	n.	27. n.	27.

Io N. N. Paroco retroscritto mano propria.

Litterae circulares a Clemente XI. super residentia Parochorum conscriptae, de quibus in Synodo Tit. III. Cap. X. num. 1.

Per illustriss. et Reverendiss. Domine uti Frater.

Pastoralis Officii debito salubriter exequendo assidue intentus Sanctiss. D. Noster, in eam prae ceteris singulari studio incumbit solicitudinem, ut omnes Metropolitanarum, Cathedralium, et Collegiatarum Ecclesiarum Dignitates, Canonici, Beneficiati, Portionarii, aliique earum obsequiis mancipati, praecipue vero Ecclesiarum Parochialium Rectores et quicumque alii animarum Curae praepositi, juxta Sacrorum Canonum et Sacri Tridentini Concilii Decreta, atque Apostolicarum Constitutionum praescriptum, personalis residentiae munus, quo obstricti sunt, agnoscant, illudque bona fide, et qua par est, sedulitate ac diligentia praestent. Cum autem Sanctitatis Suae, non absque gravi animi sui moerore, dudum innotuerit, nonnullos praefatarum Ecclesiarum servitio, vel animarum regimini addictos, proprii oblitos officii huc illuc per Menses et annos divagari, sine ulla suorum Praelatorum licentia, vel etiam cum ea, sed ultra tempus permissum, ac praeter caussas legitimas ab eisdem Sacris Canonibus et Sacro Tridentino Concilio approbatas, et absque Apostolicis Indultis, quae ab hac Sacra Congregatione Eminentissimorum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium ejusdem Concilii Interpretum justam discedendi caussam habentibus concedi solent; unde non raro fit, ut Divina Officia et Ecclesiastica munia, quae ab integro Ministrorum numero expleri debent, maxime negligantur, et animarum Cura proprio Pastore destituta, gravissimum patiatur detrimentum, nec sit qui Parvulis petentibus Evangelicum panem frangat; Volens propterea Sanctitas Sua, pro eximio, quo pollet, zelo, maximum hunc abusum e medio tollere, simulque opportune prospicere, ut singuli Ecclesiarum Ministri deinceps iis debita fideliter exhibeant obsequia, et Parochialium in primis Ecclesiarum Rectores pascendis ovibus sibi commissis assidue ac diligenter vacent; sicuti ea de re saluberrima in Urbe mandata

nuper edidit pro iis, qui alibi residere obstricti inibi commorantur; ita etiam jubet ac praecipit Universis Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis, ac ceteris Locorum Ordinariis quibuscumque, ut propriam quisque Pastoralem solicitudinem excitantes, praelaudata Sacrorum Canonum, et Sacri Concilii Tridentini Decreta adversus praedictarum Ecclesiarum Canonicos, omnesque et singulos Beneficiatos, de jure, vel consuetudine residere obligatos, necnon adversus Parochos, et quoscumque alios Animarum Curam exercentes respective edita serio observent, ac observari faciant, eos opportunis remediis ad personalem residentiam compellendo, ut onera unicuique eorum pro divino cultu, et Ecclesiarum, Animarumque servitio incumbentia sustinere commode possint. Porro in hunc ipsum finem eosdem Locorum Ordinarios hortatur ac admonet, ut hujusmodi Parochos, Canonicos aliosque Beneficiatos, ut supra, residere detrectantes, poenis a Sacris Canonibus, et Sacro Concilio Tridentino statutis, subtractionis scilicet fructuum, et crescente contumacia, privationis etiam Canonicatuum ac Beneficiorum, quibus potiuntur, mulctare et coercere non omittant, ac in eos ulterius procedant, juxta formam *Decretalis Innocentii III.* relatae *in cap. ex tuae de Cleric. non resident.*, implorato etiam ad id, ubi opus fuerit, auxilio et ope Ordinariorum, in quorum Dioecesibus praedicti refractarii commorantur. Ut autem haec omnia suum exactius sortiantur effectum, Sanctitas Sua iisdem Locorum Ordinariis injungit, ut quos ex Parochis, Dignitatibus, Canonicis et Beneficiatis ejusmodi, in praesens, vel etiam in posterum quandocumque a propria residentia abesse compererint ultra tempus permissum, et absque debitis Apostolicis Indultis, eorumdem contumacium nomina, et Beneficia residentialia, quae obtinent, ac insuper Dioeceses, et Loca, in quibus ipsi moram trahunt, huic Sacrae Congregationi per suas Literas incunctanter denuncient, et quoad contumaces in Urbe degentes, idipsum, tam eidem Sacrae Congregationi, quam Eminentissimo ejusdem Urbis Vicario significent. Mandat denique Sanctitas Sua, ut praesentes Literae, ne ullo unquam temporis decursu obsolescant, aut in desuetudinem abeant, in istius Cancellariae regestis describantur.

Cumque in his exequendis provida in primis Sacrorum Antistitum solertia versari debeat, confidit Sanctissimus Pater praemis-

sa omnia ab Amplitudinis Tuae pervigili zelo, enixoque studio ita praestanda fore, ut nedum Pastoralis officii sui debito cumulate satisfaciat, verum etiam nihil desuper Sanctitati Suae desiderandum relinquat; et Amplitudini Tuae a summo bonorum omnium Largitore fausta omnia precamur.

Ampl. Tuae

Dat. Romae die 15. Martii 1710.

Uti Frater Studiosus
B. Cardinalis Panciaticus Praef.

V. Petra Secret.

Norma Congregationum juxta Edictum D. Josephi Mariae Martelli Archiepiscopi habendarum a Parochis aliisque, super casibus conscientiae et rubricis, de quibus in Synodo Tit. III. *Cap.* XI. *num.* 7.

Applaudendo Noi al Pastorale zelo, che ha avuto la fel. mem. di Monsig. Tommaso della Gherardesca Nostro Predecessore nelle sue Determinazioni Sinodali di obbligare i Parochi, e Sacerdoti della Diogesi Nostra Fiorentina all'esercizio delle Conferenze di Morale Teologia cotanto a'medesimi Profittevole per la universale direzione de'Popoli nella via del Signore; ed essendoci a cuore, che un tale esercizio di cui pure da Noi se ne procura con efficacia la pratica, non vada in disuso, forse perchè non s' osserva l' Instruzione stampata, che in seguito delle dette Ordinazioni Sinodali il predetto Monsig. Tommaso della Gherardesca già diede altra volta, e ne prescrisse l'osservanza; perciò per mezzo del presento Editto, riduchiamo a memoria di ciascuno l' esatta obbedienza alla detta Instruzione; e per facilitarne inalterabile la pratica ordiniamo la nuova impressione della medesima, il tenore della quale è il seguente.

Perchè colla Pietà fa il suo accordo nel Clero la Dottrina, ed amendue sono i Poli, su i quali si regge tutta la Disciplina Eccle-

siastica, mentre da queste dependono la retta amministrazione de' SS. Sacramenti, il puntuale esercizio delle Funzioni Sacre, la totale osservanza delle Ordinazioni Canoniche, e finalmente l' ottima direzione de'Popoli per la via della salute; quindi si è, che premendo a Noi non meno dell'esemplar bontà de'costumi la perfetta cognizione de'doveri nel nostro Clero, e conoscendo quanto per l'acquisto e mantenimento di essa giovar possano le Conferenze de' Casi da Noi ordinate nel nostro Sinodo, abbiamo per facilitarne la pratica, e per renderle più che si può fruttuose, giudicato bene il prescriverne colla presente Instruzione il modo.

Primieramente in quei luoghi, dove il Clero è più numeroso, e per conseguenza capace di qualche ordine speciale, come la Terra d'Empoli, Castelfiorentino, San Casciano, Scarperia, Dicomano, il Borgo San Lorenzo, Firenzuola, e Palazzuolo, dovrà farsi da'Parochi e da'Confessori della Terra o Luogo la Conferenza ogni quindici giorni, esortando efficacissimamente a ritrovarvisi ancora tutti gli altri Sacerdoti e Cherici, a quell'ora, che in ciaschedun luogo, e per qualunque stagione sarà più comoda; avvertendo però; che non cada in dì Festivo, nè di Sabato, o in altra maniera impedito, dovendosi allora anticipare, o posporre ad arbitrio di chi vi presiede. Il luogo solito della Conferenza sarà la Chiesa Maggiore, o altro luogo conveniente a tal funzione. E in caso, che a questa intervengano Curati e Cherici Rurali, sieno tenuti questi una volta il mese, e in quella Congregazione, in cui si proporranno i due Casi, come sotto si dirà.

Ne'luoghi poi, ove sia minor numero di Curati e Confessori, e le Chiese e Abitazioni loro sieno spicciolate e rade, come accade nel più de'Pivieri, si facciano queste Conferenze una volta il Mese lì dove tempo per tempo parrà alla maggior parte de'Parochi. E se l'Inverno, a cagione delle piogge, ghiacci e nevi, delle strade rotte, de'fiumi ingrossati, siccome nel cuor della State per il troppo gran caldo, malagevole si renda loro il potersi adunare tutti, si trasferiscano, purchè dentro all'anno se ne facciano dodici.

E perchè si daranno Pivieri o tanto scarsi di Suffraganei, che non possano da se comodamente fare simili Conferenze, o tanto numerosi, che non possano alcuni se non con incomodo ritrovarsi dove quelle si tengono, abbiano facoltà i primi d'unirsi ad altro Pi-

viere contiguo, ove il Proposto sia a vicenda, o a Mesi, o ad Anni; ma il segretario sempre un solo, da eleggersi fra quelli de' Pivieri uniti. E la precedenza séguiti l'ordine de' Proposti; e ne' secondi possa il Presidente per ragion solo della comodità permettere a'più lontani d'aggregarsi ad altro Piviere più comodo, con che però si faccia descrivere in questo a tale effetto solo, nè possa variare senza licenza del Deputato Generale.

Il giorno dunque della Conferenza all'ora già intimata, congregati senza indugio nel luogo prefisso, tutti quelli che devono intervenire, e dato principio da chi presiede, che sarà sempre il più degno, coll' Orazione *Actiones nostras etc.* si porranno tutti a sedere secondo l'ordine del grado loro, o anzianità. E allora il Presidente sedendo a un Tavolino, ove sia un Messale, un Breviario, un Rituale, un Concilio di Trento, e il nostro Sinodo; in oltre un Orivolo a polvere per misura delle due ore, che dovrà durare quest' Esercizio; sedendovi ancora da una banda il Segretario delle Conferenze con Carta, penna, e Calamajo, col Ruolo de' tenuti a intervenire, e con un Libro in foglio, ove registri Conferenza per Conferenza, tutti gli Atti di essa, e i Nomi degli assenti, cominci dalla Lezione, e volgarizzamento d'un Capitolo del Concilio, da farsi or da uno, or da un altro de' Cherici, essendovene; quando che nò, da uno de' Parochi per turno, sopra dicui; per dilucidare la spiegazione litterale già fatta, vi discorra esso brevemente, oppure vi muova sopra qualche dubbio, con dimandarne la resoluzione da alcuno de' Congregati.

Appresso si leggerà dal Segretario un Capitolo delle Rubriche, o del Messale, o del Breviario, o del Rituale alternativamente, e nascendo dalla lettura di quello dubbj, o dell' Ufizio, o dell' Amministrazione de' Sacramenti, si dovranno questi discorrere, e disciogliere da' Congregati, principalmente coll' indirizzo del Presidente, e del Maestro delle Cirimonie, ove sia.

Indi si verrà all'Esame de'due Casi di Coscienza, uno de'quali sarà, secondo l'ordine della Tavola dell' Ufizio, e l'altro proposto dal Presidente, avvertendo, che e' sieno Casi pratici, a cui separatamente dovranno rispondere quei due Sacerdoti, che nella Conferenza precedente saranno stati avvisati; procurando però di dire la loro opinione appoggiata a buone ragioni, e all' autorità dei

Sommisti approvati. Finito che avranno questi di discorrere, sarà permesso a ciascheduno de' Congregati con licenza del Presidente di muovere qualche difficoltà contro la risoluzione data, e potrà anco il medesimo Presidente interrogare alcuni di loro del proprio parere intorno alla materia; che s'esamina; che però dovranno tutti diligentemente studiare i detti Casi, benchè solo a due s' assegni il discorrere formatamente sopra di essi, acciò possano dire il loro sentimento con fondamento e con modestia, avvertendo che in queste dispute non si gridi, nè si faccia strepito veruno.

Si procuri onninamente, che detti Casi non restino sospesi, ma sieno risoluti, e stabilita ne sia l' opinione più certa e più sicura. Le risoluzioni lette in ristretto dal Presidente co' i loro argomenti e motivi si descrivano dal Segretario nel sopraddetto Libro, secondo il parere de' più.

Finalmente si leggerà dal Presidente un Capitolo del nostro Sinodo per discorrervi sopra, e vedere se si osserva quanto in quello si dispone. Perlochè dovranno i Congregati consultare tra di loro tutto ciò, che stimano necessario a farsi per introdurne l' osservanza, tolti gli abusi da loro considerati, de' quali sarà cura del Presidente di prenderne nota in scritto per trasmetterla al Deputato Generale, il quale doverà il tutto proporre nella Congregazione Generale da tenersi davanti di Noi, o del nostro Vicario Generale, acciò si possa provvedere con opportuni rimedj.

Dopo questi Esercizj si darà fine alla Conferenza con l' intimazione futura, in che giorno, e a che ora; si dia dal Presidente in scritto il Caso per la prossima Sessione, con indicare quello della Tavola, come i Capitoli del Concilio, della Rubrica, e del Sinodo da leggersi; pigliandone tutti di tutto ricordo, e copia del Caso dal Presidente proposto. Finalmente avvisati, che saranno dal Presidente quei due Sacerdoti, che doveranno rispondere a' Casi proposti, si renderanno le grazie con *Agimus* etc.

Prima però, che si partano i Congregati, doverà il Segretario pigliar nota di quei, che mancano, con le scuse, che hanno addotte, acciò in tal maniera si possa venire in cognizione degli assenti, per proceder contro di loro, quando non fossero stati legittimamente impediti; alle pene determinate nel nostro Sinodo, e aver notizia di quelli, che saranno diligenti, per premiarli all' oc-

casione. Avverta però il Segretario, che il tutto si faccia con ogni fedeltà e diligenza.

I legittimamente impediti mandino al Segretario le scuse, che pure sieno legittime, ed esso le registri e l'infilzi, per produrle insieme col Libro al Deputato Generale.

E se accadesse, che il Segretario giustamente impedito (che anch'esso dee mandare la scusa) non potesse intervenire a qualche Conferenza, mandi il Libro al Presidente, il quale adempisca le di lui parti, o le faccia adempire ad altri, registrando prima la mancanza del Segretario con la giustificazione di essa, e poi tutti gli atti della Conferenza. L'istesso si osservi nell'assenza, che si desse del Presidente, con che questi faccia far le sue veci al Segretario, o al più degno.

Ma perchè la carica del Segretario è molto importante per lo buon' ordine delle Conferenze, nella prima Congregazione che si farà, innanzi a ogni altra cosa, si venga all'elezione di esso in questa maniera. Ciaschednno de' Sacerdoti, considerato maturamente chi possa esser di loro il più idoneo per tal peso, lo scriva in una polizza, la quale ponga sul Tavolino del Presidente: il quale posate che saranno tutte, faccia alla presenza di tutti l'assortimento de'nomi, e con l'assistenza di due più degni riconosca qual nome abbia avuto più polizze; e quegli così nominato sia il Segretario; nè possa in modo alcuno ricusare questa Carica, la quale durerà ùn anno, e più ancora, se e' voglia; con la rafferma però della maggior parte de' Congregati: altrimenti finito l'anno si proceda nel modo predetto a nuova elezione.

In quei Pivieri poi, ove si uniranno due di essi, si faccia prima l'unione, e poi si venga all'elezione del Segretario. Siccome, dovendosi aggregare uno, o più d'un Piviere ad altro più comodo, si faccia l'aggregazione prima, e poi l'elezione del Segretario nella forma detta.

Il Libro grosso in foglio da tenersi dal Segretario, e da farsi a spese de Parochi e de' Confessori per ugual porzione in ciaschedun Piviere, avrà questo Titolo, o Frontespizio.

Liber Congregationis Parochorum, et Sacerdotum, e arrolandovisi Cherici ove siano, si aggiunga, *et Clericorum Plebaniae* (ovvero) *Praepositurae N. N.*

Nella carta seguente si scrivano i nomi di tutti i Congregati.

N. N. Plebanus (o) *Praepositus.*

N. N. Prior (o) *Curatus N. N.*

N. N. Clericus Diaconus (o) *Subdiaconus* (o) *in Minoribus.*

Gli Atti poi, che andranno descritti in latino, si descrivano in questa forma dopo il millesimo, che andrà da capo alla facciata.

Mense, etc. Die, etc. Hora, etc.

Stabilita est Congregatio in Ecclesia Plebaniae N. N. cui interfuerunt omnes, praeter N. N. qui laborabat ex. gr. febri (o) *assistebat Moribundo etc., quod literis ejusdem* (o) *alio medio constitit* (o) *qui nullam adhibuit excusationem, neque sententiam suam dixit in scriptis.*

Posto, che vi sieno Cherici, e che abbiano dichiarato il Concilio.

N. N. Clericus, etc. in vernaculam linguam vertit caput, etc. Sessionis, etc. Concilii Tridentini, quod explicavit N. N.

Non vi essendo Cherici.

N. N. etc. legit et explicavit etc. Cap. etc. Sess. etc. Con. Trident.

Lecta fuit prima (o) *secunda etc.* (o) *lectae fuere Rubricae etc. ex Missali* (o) *ex Breviario Romano* (o) *ex Rituali, deinde Expositio illius, vel illarum ex Gavanto* (o) *ex Quarto etc.*

Mox lecti sunt duo Casus propositi in praecedenti Congregatione, quorum primus fuit:

E quì ponga il Caso colla risoluzione, col nome di chi lo decide, tanto il primo, quanto il secondo.

Postremo N. N. Praesidens legit Caput etc. N. nostrae Synodi, super quo notatus fuit hic, vel ille abusus, cui adhibitum est tale, vel tale remedium.

E se vi è stato bisogno di scriverne al Deputato Generale.

De quo consuluimus D. N. Deputatum Generalem, qui respondit, etc.

Fra le risposte d' un Caso, e l' altro lasci tanto di spazio, che il Revisore, il quale sarà sempre un Esaminatore Sinodale, possa, bisognando, correggere, o meglio spiegare le Decisioni date.

Si ricorda di nuovo al Segretario la diligenza, e sopra ogni cosa

Digitized by Google

la fedeltà in tutti i suoi Atti, se non vorrà che facendosi da Noi o dalla Congregazione Generale, che si terrà ogni anno dopo che saranno stati strasmessi al Deputato Generale tutti i Libri co' i loro Corredi di tutti i Pivieri, diligente perquisizione, n' esigiamo da esso strettissimo conto in caso d' infedeltà, oltre all' incarico sopra la sua coscienza.

Doverà ancora il Segretario, prima che passi tutto il tempo, che corre dalla Pasqua alla Pentecoste, portare o mandare il Libro degli Atti della Congregazione, colle Fedi e Scuse degli Assenti, al Deputato Generale, sotto pena di scudi quattro, da applicarsi a' Luoghi Pii, e riavuto che l' avrà dal predetto Deputato, legga nella futura prima Sessione le correzioni, o dichiarazioni, che averà fatto il Revisore sopra la resoluzione de' Casi.

Il Deputato Generale, che sarà il Sig. Marco Antonio de' Mozzi Canonico della Nostra Chiesa Metropolitana, avrà l' incumbenza di ricevere tutti i Libri da' Segretarj di ciascun piviere, e mandargli per la revisione agli Esaminatori Sinodali, acciò riconoscano se i Casi sono stati bene risoluti, e gli correggano, o spieghino bisognando; e riconoscano ancora, se gli Atti sieno stati ben tenuti, e le Scuse degli Assenti sieno legittime; e ricevuto che egli abbia da' predetti Revisori tutti i Libri, convochi con l' appuntamento di Monsig. Arcivescovo, o del suo Vicario Generale, la Congregazione Generale, nella quale i Deputati Revisori doveranno intervenire, e referire ciò, che paja loro che occorra intorno al Libro da loro rivisto, per darsene gli ordini al medesimo Deputato Generale di rimetterlo a' Segretarj di ciascun Piviere; e perchè i Segretarj sappiano quando abbiano a ritornare o mandare a ripigliare i Libri dal Deputato Generale, si ordina, che la Congregazione Generale sia onninamente tenuta prima che passi tutto il tempo Pasquale; e però i Segretari sieno puntuali a mandar detti Libri al predetto Deputato Generale prima che passi un tal tempo, ed a ripigliargli, quello terminato, e se fra l' anno occorreranno difficultà alle Congregazioni dei Pivieri, potranno i Segretarj di ciascuno carteggiare con detto Deputato Generale, e dal medesimo attenderne le risposte e gli ordini provvisionali.

Finalmente sappia ciaschedun Paroco, che l' obbligo di queste

Conferenze comincerà a Gennajo prossimo, che sarà l' anno primo dopo il Nostro Sinodo, e procuri ciascheduno di provvedersi d'un Esemplare di questa Nostra Instruzione, etc.

Dat. dal Nostro Palazzo Archiepiscopale questo dì 1. Dicembee 1727.

GIUSEPPE MARIA ARCIVESCOVO DI FIRENZE.

Domenico Maria Borghigiani Cancell. Arcivesc. de mand.

De Funeribus ita in Constit.
Benedicti PP. XIII. *Romanus Pontifex etc. ann.* 1725. *de quibus*
Tit. III. *Cap.* XIV. *Num.* 8.

Praeterea motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus sancimus statuimus et mandamus, ut in Italia eique adiacentibus Insulis, a die publicationis praesentis Constitutionis in futurum Parochis Defunctorum, qui in Ecclesiis quorumcunque Regularium praedictorum tumulabuntur, persolvatur, et cum effectu tradatur Quarta pars omnium intorticiorum, et candelarum, quae in eadem Ecclesia circa cadaver, vel etiam in altari in die funeris accendentur. A praedicta tamen Quarta Funerali exceptae intelligantur, et sint candelae, quas Sacerdotes, etiam Regulares, vel piarum sodalitatum Confratres funus associantes, manualiter per viam accensas deferent. Quod si funus non fieret in die tumulationis, sed ad diversam diem, vel ad aliud longius tempus differetur, Parocho nihilominus assignetur. Quarta pars omnium intorticiorum, et candelarum, quae ipsamet peracti funeris die in Ecclesia, ubi Defunctus humatus fuit, circa Cenotaphium, seu Tumulum honorarium, atque etiam in altaribus eiusdem Ecclesiae, accensa fuerint. Haec porro omnia locum habeant, et exacte in posterum observentur, quotiescumque Defunctus extra suam Parochialem Ecclesiam tumuletur, vel exponatur; sive quia in Ecclesia tumulante, vel exponente Beneficium obtinuerit, sive quia ibidem sepulcrum habuerit gentilitium, sive tandem quia in ea sepulcrum elegerit. Ceterum sub praedicta Quarta Funerali comprehendi non intendimus, imo

expresse ab ea excipimus legata Missarum, et Anniversariorum, hisque similia pia relicta ad favorem Ecclesiae Tumulantis, vel exponentis a Defuncto disposita. Circa quae, ac omnia et singula alia, de quibus in praesenti Constitutione mentio facta non fuerit, Privilegia praedictis Regularibus Ordinis ab Apostolica sede concessa, salva prorsus, illaesa, ac inviolata perpetuo permanere, et ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inconcusse, ac irrefragabiliter observari debere volumus, decernimus, et mandamus. Ubi vero consuetudines legitimae, probatae, conventiones, concordiae, vel statuta vigerent, quae praefatis Parochis magis faverent, illisque pinguiorem praedicta. Quarta emolumentorum funeralium portionem assignarent, ea in iis, in quibus vigent locis inconcusse ab omnibus observari, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, sancimus, praecipimus, et iubemus.

Decretum Thomae Bonaventurae
ex Comitibus Gherardeschae Archiepiscopi Florentini
super modo tenendo in Curia Archiepiscopali
in caussis miserabilium carceratorum, spectans ad
Tit. III. *Cap.* XVIII. *de Judiciis.*

Exigit Pastoralis Officii nostri attenta sollicitudo, ut nostris hisce praesertim seculis tot miseriis et calamitatibus repletis, in quibus inopia innumeros, alioquin minime egenos, extraordinaria multiplicatione depressit, pauperibus Debitoribus in carcerem auctoritate Nostra, rigore Justitiae sic praescribente detrusis, ac ad solvendum morali impotentia inhabilibus, ne in eis inde nimium detenti marcescant, sed excitata commiseratio Creditorum frequenter educat, vel Judicis Officium celeriter impensum rationabili amplexa aequitate dissolvat, paterna Providentia, in quantum Nobis ex Alto conceditur, opportuno auxilio succurramus. Dudum siquidem ad hujusce excitationis effectum advertentes, unam Presbyterorum secularium Congregationem, Pietatis Carceratorum nuncupandam, quorum officium prae ceteris esse deberet, pauperes Carceratos, honesta inita cum Creditoribus concordia, subministratisque etiam ad opportunitatem, pro eorum posse pecuniarum subsidiis, a vinculis

extrahere ac liberare, autoritate Nostra ordinaria, ita Domino misericorditer opitulante, et cum facultatibus Nobis tunc benevisis, ereximus et instituimus, prout in nostris desuper inde confectis literis plenius continetur. Quoniam vero, ut non sine animi nostri molestia accepimus, ullus quandoque ex Creditoribus tanta cordis duritie praeoccupatur, ut nullius generis concordiae prouas aures habere velit; unde fit, ut carcerati Debitoris liberatio, tunc nullo pacto a dictis Presbyteris consequi possit, Nos propterea volentes etiam in hac parte, ubi solum Judicis Officium remanet implorandum, piae eorundem Presbyterorum intentioni et commodo contribuere, dictisque Debitoribus in carcerem conjectis ad legale remedium adhibendum facilem ac expeditam viam ad praemissum finem aperire, studiosis hac de re dilationibus in casu alicujus insurgentis controversiae aditum obserare, ac libertati tam Deo placitae Captivorum hujusmodi, paternae charitatis visceribus, eo quo possumus et debemus modo, manum praebere (ne quos Dei caritas urget, expensarum gravitas remoretur, vel nimis rigida Creditorum contentio subducat, aut taedium retrahat prolixitatis, sive ingruentium negotiorum moles obruat) brevissimam justitiae in his administrandae, tractandaeque cum Creditoribus judicialis concordiae, relaxationisque miserabilis Debitoris a carceribus normam tradimus, et probationem miserabilitatis expedita ratione concludimus, sancientes atque servari mandantes, ut infra etc.

Quod Debitor in Carceribus detentus, vel ejus nomine aliquis ex deputatis praescriptae Congregationis sive proprius Procurator, aut mandatarius coram D. Vicario Nostro Generali Causarum Substituto compareat, et exhibito illius miserabilitatis documento ab ejus Parocho, et duobus aliis fide dignis testibus subscriptione firmato, qui carceratum probenorint, ejusque egestatem in causa scientiae plene ac perfecte convincant, petat juxta vires admitti ad honestam aliquam sui debiti compositionem, vel aliam cum suo Creditore concordiam; et tunc citetur Creditor ad dicendum contra allegatam, et ut praemittitur, ostensam hujusce debitoris miserabilitatem, necnon ad concordandum cum eo super praetenso debito; sin minus ad videndum mandari Debitorem ipsum veluti miserabilem a Carceribus dimitti, et relaxari ad primam diem, vel dicendum causam quare etc.

Termino autem citationis adveniente, si creditor non compareat ad contradicendum, accusata illius contumacia ad relaxationis decretum procedatur, addito novo termino, nisi ad primam diem cum intimatione etc. eoque transacto, et adhuc creditore nil in contrarium dicente expediatur mandatum de relaxando debitorem a carceribus in forma etc.

Si vero compareat et opponat, tunc pro arbitrio et conscientia Judicis, constito de irrelevantia et insubsistentia exceptionum, vel de insuperabili reluctantia ad concordiam alioquin honestam, idem D. Vicarius Causarum Substitutus de miserabilitate summarie, et veluti ad simplicem instructionem pectoraliter cognito, Decretum relaxationis super concordia per Debitorem, vel Deputatum Congregationis oblata, vel arbitrio suo amplianda, aut moderanda incontinentis proferat, et exequi faciat ad limites concordiae respective praefatae.

Quotiescumque autem exceptiones, seu replicationes Creditoris in termino praenarratae citationis, oppositae ac respective datae tales forte essent, quae maturam amplius causae cognitionem requirerent, terminum proservato super hinc inde petitis, obiectis, et replicatis semel duntaxat habeatur, et in praescripto unico termino Decretum, ut supra praemisimus, per D. Vicarium praefatum, pro declaratione ejusdem termini in actis de more consignetur; a quo si favore Debitoris sit prolatum, non detur appellatio nisi ad effectum devolutivum.

In hoc tandem excarcerationis Judicio omnes, et quascumque ferias, etiam iu honorem Dei, et Sactorum ejus constitutas de medio tollimus, omnesque prorsus dies tam Carcerato, quam Judici utiles et juridicos ad effectum obtinendae excarcerationis esse volumus et declaramus; et ita etc. omni etc., in quorum etc. Dat etc. ex Nostro Archiepiscopali Palatio die 4. Decembris 1711.

THOMAS BONAVENTURA ARCHIEP. FLORENT.

Publicatum per me Cancellarium Infrascrictum ad bancum Juris die 11. Decembris 1711.

Laurentius Borghigiani J. V. D. Canc. Archiep. de mand. etc.

Constitutio Gregorii PP. XV. in qua confirmatur et ampliatur Constitutio Pii PP. IV. contra ad turpia solicitantes in Confessionibus Sacramentalibus; et de qua Synodus in Addit. ad Cap. VI. *in fine Tit.* II.

Cum Singulis ad Confessarii munus admittendis, in actu Examinis vel perlegenda vel explicanda sit haec Constitutio, ad calcem eam apponi curavimus.

Gregorius PP. XV. etc.

Universi Dominici gregis curam, quamquam immeriti, coelesti dispositione gerentes, sedulo iuvigilare tenemur, ut ab omnibus pravis contagiis conservetur immunis, multoque maiori studio providere, ut omnis pestis ab iis avertatur, quibus alios sanandi officium est commissum, ne, quod Evangelica scripta nos admonent, sale infatuato, non sit in quo saliatur, et ad nihilum prosit ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus.

Quoniam autem a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris quibusdam in locis provisum fuit, ut impium, ac nefandum scelus, quod non solum inter Christifideles non esse, sed nec etiam nominari debet, procul ab iis arceatur, videlicet, ut aliquis Sacerdos, ad sacras audiendas Confessiones deputatus, Sacrosancto Poenitentiae Sacramento, solicitando Poenitentes ad turpia, abutatur; ac pro medicina venenum, pro pane aspidem porrigat, et ex Coelesti Medico infernalis veneficus, ex Patre spirituali proditor execrabilis Animarum reddatur: Idcirco Nos ea, quae his perniciosissimis Diaboli insidiis arcendis in certis locis salubriter constituta sunt, ut nullibi desiderentur, quantum ex alto conceditur, providendum duximus.

Alias siquidem a fel. rec. Pio Papa IV. Praedecessore Nostro emanarunt literae tenoris subsequentis, videlicet. Pius Papa IV. Ven. Fratri Archiepiscopo Hispalensi, in Regnis Hispaniarum haereticae pravitatis Inquisitori Generali, etc. Cum, sicut nuper non sine animi nostri molestia accepimus, diversi Sacerdotes Regnis Hispania-

rum, atque etiam in eorum Civitatibus, et Dioecesibus Curam Animarum habentes, sive eam pro aliis exercentes, aut alias audiendis Confessionibus Poenitentium deputati, in tantam proruperint iniquitatem, ut Sacramento Poenitentiae in actu audiendi Confessiones abutantur, nec illi, et, qui id instituit, Domino Deo, et Salvatori Nostro Jesu Christo injuriam facere vereantur, mulieres videlicet poenitentes ad actus inhonestos, dum earum audiunt Confessiones, alliciendo, et provocando, seu allicere, et provocare tentando, et procurando, ac loco earum per Sacramentum hujusmodi Creatori nostro reconciliationis, graviori peccatorum mole eas onerando, et in manibus Diaboli tradendo, in Divinae Majestatis offensam, et Animarum perniciem, et Christifidelium scandalum non modicum; Nos, in animum inducere nequeuntes, quod, qui de Fide Catholica recte sentiunt, Sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur, aut illis injuriam faciant, Fraternitati tuae, de cujus eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus, et mandamus, quatenus per te, vel per alium, seu alios a te deputandum, seu deputandos, contra omnes et singulos Sacerdotes dictorum Regnorum, ac illarum Civitatum et Dioecesum de praemissis quomodolibet diffamatos, tam Seculares, quam quorumvis, etiam Exemptorum, ac Sedi Apostolicae immediate subiectorum Ordinum Regulares, cujuscumque Dignitatis, status, gradus, Ordinis, conditionis, et praeeminentiae existant, tam super praemissis, quam super Fide Catholica, et quid de ea sentiant, diligenter inquiras, et juxta facultatum tibi contra Haereticos, aut de haeresi quovis modo suspectos a Sede Apostolica concessarum continentiam, et tenorem procedas, ac culpabiles repertos, juxta excessuum suorum qualitates, prout juris fuerit, punias, eos etiam, si, et prout de jure fuerit faciendum, debita praecedente degradatione, secularis Judicii arbitrio puniendos tradas. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiarum, et Monasteriorum, necnon Ordinum quorumlibet, quorum ipsi Sacerdotes fuerint, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus, et formis ac cum quibusvis clausulis, et Decretis, etiam motu proprio aut alias quomodolibet concessis, etiam itera-

vicibus approbatis et innovatis. Quibus omnibus, eorum tenores praesentibus, pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 16. Aprilis 1561. Pontificatus Nostri Anno secundo. Igitur, ut literae praedictae perpetuis futuris temporibus, et ubique Locorum inviolabiliter observentur, motu proprio, et ex certa scientia ac matura deliberatione Nostra, ac de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, contra haereticam pravitatem Generalium Inquisitorum, praeinsertas literas hujusmodi, ac omnia, et singula in eis contenta Apostolica auctoritate, tenore praesentium, approbamus, et confirmamus, illisque omnibus, et singulis inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus: illasque non solum in praedictis Regnis Hispaniarum, sed in quibusvis Christiani Orbis partibus firmiter, et inviolabiliter observari praecipimus, et mandamus.

Ac praeterea, ne in futurum de poena his delinquentibus imponenda, et de modo contra eosdem procedendi ab ullo dubitari possit, statuimus, decernimus, et declaramus, quod omnes, et singuli Sacerdotes, tam Seculares, quam quorumvis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicae immediate subiectorum Ordinum, Institutorum, Societatum, et Congregationum Regulares cujuscumque dignitatis, et praeeminentiae, aut quovis privilegio muniti existant, qui personas, quaecumque illae sint, ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda, in actu Sacramentalis Confessionis, sive ante, vel post immediate seu occasione, vel praetextu Confessionis hujusmodi, etiam ipsa confessione non secuta, sive extra occasionem Confessionis, in Confessionario, aut in loco quocumque, ubi Confessiones Sacramentales audiantur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessiones audire, solicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, et inhonestos sermones, sive tractatus habuerint, in Officio Sanctae Inquisitionis severissime, ut infra, puniantur. Et praeterea omnes haereticae pravitatis Inquisitores, et locorum Ordinarios omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, et Locorum Universi Orbis Christiani, in suis quemque Dioecesibus, et Territoriis, per has nostras literas, etiam privative quoad omnes alios, specialiter, ac perpetuo Judices delegamus, ut super his contra praedictos

30

Casus et Censurae
Sanctae Sedi Apostolicae reservatae, a quibus extra mortis articulum, nemo sive Saecularis, sive Regularis Sacerdos valet absolvere.

1. Violatio immunitatis Ecclesiae in terminis Constitutionis Gregorii PP. XIV. *Cum alias nonnulli.*

2. Provocatio et pugna in duello, iuxta Decretum Trident. Concilii Sess. *de Reformat. c.* 19. et Constitutionem Gregorii PP. XIII. *Ad tollendum.*

3. Iniectio manuum violentarum in Clericos: iuxta Canonem *Si quis suadente.* Quod intelligas: *dummodo percussio non sit levis dumtaxat, aut mediocris: haec enim reservatur solis Episcopis.*

4. Violatio clausurae Monialium ad malum finem.

5. Simonia realis, ac scienter contracta.

6. Simonia confidentialis in Beneficiis. *Ex speciali mandato* Clementis PP. VIII. *Sacra Congregatio Episc. et Regul. ann.* 1602.

7. Casus omnes dubie vel clare contenti in Bulla Coenae.

8. Qui accipit a Regularibus donum excedens summam scutorum decem. *Casus sine censura Sanctae Sedi reservatus* ex Constitut. Urbani PP. VIII. *Nuper a congregatione.*

9. Mercimonia super eleemosyna Missarum. Ex Constitut. Benedicti PP. XIV. *Quanta cura.*

10. Quando quis falso accusat Sacerdotem innoxium de Solicitatione apud Judices Ecclesiasticos, sive per seipsum, sive procurando, ut per alios calumnia inferatur. Ex Constitut. Benedicti PP. XIV. *Sacramentum Poenitentiae;* in qua Censura non adiicitur.

11. Absolutio Sacerdotis Confessionem excipientis complicis in peccato contra sextum praeceptum. Ex eadem Constit. Benedicti PP. XIV. et iuxta aliam Constitutionem eiusdem *Apostolici muneris partes.*

12. Absolutio eorum omnium, qui Sectae Massonicae, Carbonariae, aliisque similibus nomen dederunt, aut favore praestiterunt. Ex Constitutione Leonis PP. XII. *Ecclesiam a Jesu Christo.*

Digitized by Google

ALTERA ADDITIO

Ad has Synodales Constitutiones
ea complectens, quae ab Archiepiscopis nostris Florentinis
usque ad hodiernam diem vel edita,
vel decreta sunt; titulorum, capitum, et numerorum
ordine distributa.

Ad Caput. VII Tituli I. n. 1. etc. de Sanctorum veneratione.

Sacrae Rituum Congregationis Secretarius inter alia sequens dubium EE. et RR. Patribus in ordinario Conventu proposuit „ An toleranda vel eliminanda sit cousuetudo, quae in dies invalescit, superimponendi Sanctorum Reliquias, pictasque Imagines Tabernaculo, in quo Augustissimum Sacramentum asservatur, ita ut idem Tabernaculum pro basi inserviat?

Resp. assertam consuetudinem tamquam abusum eliminandam omnino esse. *Decret generale dat. sub die* 3. *Martii anni* 1821. *et a SS. PP. Pio VII. sub die* 3. *Aprilis eiusdem anni adprobatum, et confirmatum.*

Ad Cap. IV. Tit. II. n. 19. etc.
De exponendo Sanctissimae Eucharistiae Sacramento.

1. Illustrissimus et Reverendissimus DD. Petrus Franciscus Morali Archiepiscopus Florentinus etc. religiose observandum praecipit et mandat: ut nunquam deinceps. SS. Eucharistiae Sacramentum publicae Fidelium adorationi in hujusce Dioecesis Ecclesiis exponatur pro uno defuncto, etiam si fuerit vel dies mortis, vel depositionis vel anniversarius, sed dumtaxat pro Defunctis in genere, seu pro Defunctis alicujus Congregationis, dummodo nec insignia, sacraeve vestes nigri coloris adhibeantur, nec supra principem aedis portam inscriptiones collocentur, exceptis illis „ *orate pro Defunctis*, seu *pro Defunctis Congregationis, aut societatis N.N.* „

Extat enim hac de re Decretum ab Archiepiscopo Antonio Mar-

Digitized by Google

tini fel. recordat. quinto Kalendas Junii an 1804. latum; extant, et literae ab Eminentiss. Cardinali S. R. Congreg. Praefecto tertio Idus Martii ejusdem anni praedicto Archiepiscopo datae, in quibus ita legitur „Quam Consuetudinem Sacra Congregatio declarat abusum, et ad eam tollendam curas omnes, ac exploratum erga Sacrorum Rituum decorem Amplitudini tuae studium excitare non omittit „. Dat. Kalendis Decembris Anni 1817.

2. Illustrissimus et Reverendissimus D.D. Ferdinandus Minucci Archiepiscopus Florentinus praecipit, ut quoties Eucharisticum Sacramentum, sive per spatium circiter quadraginta horarum, seu ad aeternam requietem mortuis implorandam, fidelium adorationi exhibetur, ante idem Sacramentum saltem tribus horis post meridiem tempore hiemali, et quinque tempore aestatis oratio fiat alternatim juxta morem a duobus Sacerdotibus veste talari cum superpelliceo, et stola, sive a duobus Clericis veste talari cum superpelliceo, seu etiam a duobus laicis vestibus cucullatis indutis (sicuti jam a praedecessore suo Antonio Martini provisum fuerat, quamvis procedente tempore id a nonnullis fuerit omissum); onerata hac super re Parochorum conscientia, qui teneantur referre Archiepiscopo nostro, si aliquando accidat ut in Ecclesiis intra limites eorum Paroeciarum existentibus, haec Iussio infringatur.

Dat. Idibus Decembris anni 1829.

Ad Cap. V. Tit. II. n. 12. *etc.*
De Sacrosancto Missae Sacrificio.

Pastoralis Epistola DD. Francisci Caietani Incontri Archiepiscopi Florentini iuxta Constitutionem SS. PP. Benedicti XIV. *Quanta cura.* vetantem mercimonia super eleemosynis Missarum sub poena Censurarum, quarum absolutio summo Pontifici reservatur.

La falsa idea conceputa delle limosine, che si danno per la celebrazione delle Messe, è stata la cagione di molti abusi, ed irriverenze notabilissime, che si commettono nell'offerta a Dio del Sacrifizio incruento del suo Unigenito Figliuolo, conciossiachè siino

queste da alcuni considerate nella guisa de prezzi delle cose profane, non come volontarie, e pie oblazioni dei Fedeli. Sopra di che dolendosi amaramente i Padri del Concilio di Toledo dell'anno 1324. procurarono di toglier via sì fatto inconveniente derivato dall'avarizia unicamente. Ma non cessando affatto, il Sacro Concilio di Trento fece nuove determinazioni, ed ingiunge a' Vescovi di proibire espressamente a' Sacerdoti in riceveudo le limosine delle Messe di fare o condizioni, o patti, o cosesomiglianti, che son certamente effetti dell'avarizia, ed una specie di Simonia. E per vero dire, se le limosine delle Messe sono date a' Sacerdoti come oblazioni aggradevoli a Dio, si debbono adunque ricevere come oblazioni volontarie e deesi insieme dimostrare di offerire volontariamente il Sacrifizio a Dio, conforme è l'intenzione della Chiesa dichiarata ancora nell'antiche oblazioni, che si facevano alla Messa, in luogo delle quali sono succedute le limosine, che secondo l'universal disciplina della Chiesa si danno adesso a' Sacerdoti per aiuto del loro sostentamento. Imperocchè non altrimenti, che per far conoscere, che il Popolo concorre insiem col Sacerdote nel Sacrifizio della Messa, era antica costumanza de'Cristiani d'offerire ciascheduno la sua parte del Sacrifizio consistente in pane e in vino, del qual pane, e vino ponendosi sopra l'Altare quanto potesse bastare per comunicare il Popolo, si consacrava l'Eucaristia e si osservava un tal rito d'oblazione con tanta diligenza, ed attenzione, che sul fine del sesto Secolo della Chiesa ne fù stabilito un Canone contro de' trasgressori. Durò quest'antico uso, che riconosceva il suo cominciamento fino da' tempi degli Apostoli, per molti secoli. S'offersero poscia denari, ma è incerto quando tale oblazione si surrogasse in luogo del pane, e del vino; si crede però verisimilmente allora quando seguirono più di rado le communioni del popolo. S'offerivano denari, per ciò che appartiene al Sagrifizio, o in uso de' poveri, che sono i membri di Gesù Cristo; sebbene questa disciplina non si mantenne molto, introducendosi appoco appoco il costume, che tali oblazioni si acquistassero da'Sacerdoti, come per l'avanti l'oblazione del pane, e del vino, per quella parte, che avanzava al Sacrifizio; il che riguardo a'denari fù poi ristretto alle sole Messe per i defunti. Finalmente fu creduto che quello, che s'offeriva nell'atto della Messa, si potesse offerire avanti, e dopo di quella; onde andò in disusanza l'offerta, che

facevasi nelle Messe Solenni, cui S. Carlo zelantissimo conservadore dell'antiche Ecclesiastiche Tradizioni, e della Disciplina Canonica voleva rimettere in uso; e chi voleva, che specialmente si applicasse il Sacrifizio per se, offeriva al Sacerdote il denaro, quale in oggi chiamiamo onorario, o limosina della Messa, e ciò ebbe il suo cominciamento nel secolo ottavo (essendovi però ancora chi pretenda esservene prove più antiche del detto Secolo) almeno nelle Messe private, non però universalmente, avanti del Secolo duodecimo. L'ignoranza pertanto dell' origine della limosina delle Messe derivata dalle volontarie offerte del pane e del vino, e poscia del danaro, ed in luogo loro succeduta, è stata occasione di molte sollecitudini nella Chiesa, ora per raffrenare l'altrui avarizia, ora per non pregiudicare alle pie intenzioni di coloro, che dando la limosina vogliono per se, o per altri vivi o morti l'applicazione della Messa, e tutto ciò per l'infame ingordigia del guadagno, declamando contro tutti gli enormi abusi, che si erano introdotti nel Secolo duodecimo Pietro Cantore della Chiesa di Parigi, e riprovandoli i Concilii, ed i Sommi Pontefici, quali ne' tempi seguenti col consiglio delle Sacre Congregazioni della Suprema Inquisizione, e di quella che presiede all' interpetrazione del Sacro Concilio di Trento, condannarono l' erronee opinioni di alcuni Casisti, che avevano pensato ad aprire nuove strade alla sordida avarizia, e al guadagno, come dice il Sacro Concilio, quasi Simoniaco; come si può apprendere dalla Notificazione decima quinta del volume terzo delle Notificazioni, Editti, e Istruzioni del regnante Santissimo nostro Pontefice, ove egli riferisce tutti gli errori in tal materia. E Dio volesse, che ai giorni nostri fossero detestati da tutti! Ma pur troppo con rammarico infinito si sente, da alcuni che non hanno idea delle limosine delle Messe nè della Religione, praticarsi un'abuso detestabilissimo già condannato dall' ineffabile Oracolo della Chiesa, ed è, che ricevendo, e raccogliendo per la celebrazione delle Messe, limosine secondo il costume de'luoghi, e le determinazioni de' Sinodi, fanno poi celebrare le Messe ne'luoghi, dove minori sono quelle determinate, ritenendo per se il soprappiù; lochè ognuno vede quanto sia contrario all'espressa, o tacita pia volontà degli offerenti; e come per conseguenza costoro sono rei di furto, ed obbligati per ciò alla restituzione, quantunque avessero manifestato al Sacerdote celebrante

d'aver ricevuta, o raccolta limosina maggiore di quella ad esso data eziandio con di lui consentimento. Volendo pertanto la Santità di Nostro Signore, che dal Sacrifizio della Messa, che è il Mistero più augusto, e più venerabile, che sia nella Chiesa, si tolgano tutti i difetti contrari all'intenzione, con cui dee celebrarsi; con tutto il suo zelo Pastorale insorge contro l'abuso accennato, e con suo special Breve dato in Roma il dì 30. Giugno a tutti i Patriarchi, Primati, Arcivescovi, e Vescovi comanda, che con loro pubblico Editto intimino a ciascuna persona Ecclesiastica e Secolare, che raccogliendo o esigendo limosine per celebrar Messe, maggiori di quelle determinate dal costume de' luoghi, e dalle Leggi Sinodali, e ritenutane una parte, faranno celebrare ivi o altrove, dove minori sono assegnate le limosine per le Messe; i Secolari, oltre le pene da imporsi ad arbitrio degli Ordinari, incorrano *ipso facto* la Scomunica, i Cherici e qualunque Sacerdote la pena della sospensione, dalle quali non possano, fuori che *in articulo mortis*, essere assoluti, che da Sua Beatitudine, e da'Successori Suoi Romani Pontefici. Nell'eseguir dunque i supremi comandamenti del Santo Padre, esortiamo altresì ciascuno ad aver maggior venerazione verso il Sagrosanto Sacrifizio della Messa, riguardandolo come il mezzo più eccellente per onorare Dio, per ringraziarlo, per ottenere il perdono de' peccati, per impetrare nuovi favori, grazie ed aiuti; acciò con queste intenzioni celebrando la S. Messa, ovvero assistendovi, si accresca la divozione, se ne concepisca la giusta idea, vi si cerchi solamente Gesù Cristo, e in questa maniera *Holocaustum nostrum pingue fiat.* E qui con paterno affetto diamo a tutti la Pastorale Benedizione. Dat. nel dì 1. Agosto 1741.

Idem Illustriss. et Reverendiss. D. D. Franciscus Caietanus Incontri Archiepiscopus Florentinus ex debito sui Pastoralis Officii ad impediendos plures abusus, qui non sine maximo conscientiarum periculo irrepere possent in adimplendo mentem eorum, qui Missas celebrari mandarunt; omnibus et singulis suae Florentinae Dioecesis Sacerdotibus et Beneficiatis in memoriam revocat, circa licitam dierum vacationem a celebratione Missarum, hac uti debere distinctione. Nimirum aut Sacerdotes vel Beneficiati ratione Beneficii, Capel-

laniae, Legati, aut stipendii obligati sunt celebrare quotidie *per se ipsos*, aut *per alios* oneri suo satisfacere possunt: si *per se ipsos*, legitima concurrente causa, possunt aliquando vacare, nec licet causa voluptatis, sive se ad aliam Ecclesiam transferendo, ut ait Alexander III., nec pro se ipsis vel aliis, praeter quam pro Fundatoribus celebrare in diebus licitae vacationis. Si vero *per alios* (nisi aliter cautum sit in fundatione) nunquam a celebratione vacare licet. Ita a S. Congregatione Concilii decretum fuit die 18. Septembris 1683. ut infra:

„ Modernus Episcopus Collensis Dioecesim visitando comperiit, non sine maximo conscientiarum periculo, plures irrepsisse abusus in adimplendo mentem eorum, qui Missas celebrari mandarunt. Ad eos ergo tollendos, discutiendum atque resolvendum videtur.

1. An Sacerdotes obligati ratione Beneficii, Capellaniae, Legati, aut stipendii celebrare quotidie Missam per se ipsos, possint aliquando a celebratione vacare; et quatenus affirmative:

2 Quando et quoties a dicta celebratione vacare possint?

3. An diebus licitae vacationis, possint Missam pro se ipsis vel aliis, praeter quam pro Fundatoribus, celebrare; et quatenus affirmative:

4. An pro aliis celebrando possint stipendium pro huiusmodi celebratione percipere?

5. An illis diebus, quibus licite vacant a celebratione, teneantur Missam ab aliis celebrari facere iuxta intentionem Fundatoris?

6. An Sacerdotes, ut supra, obligati celebrare Missam quotidie, absque tamen onere celebrandi per se ipsos, possint aliquando a celebratione vacare?

Die 18. Septembris 1683. S. Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, ad primum et secundum respondit *Affirmative, concurrente aliqua rationabili causa.* Ad tertium, et quartum, et sextum *Negative.* Ad quintum distulit resolutionem. „

Praeterea Dominatio sua Illustriss. et Reverendiss. monet ab eadem S. Congreg. Concilii in una Tinen. applicationis Sacrificii 18. Augusti 1668. declaratum fuisse, quod quando ex aliqua Fundatione iniunctum est onus Capellano Sacrum faciendi nulla adiecta

declaratione, ad cuius suffragium applicandum est Sacrificium, hoc non ad libitum, sed applicandum esse pro anima Testatoris. Ita quoque in una Ferrarien. 26. Martii eiusdem anni. Item 27. Aprilis 1720. in una Ventimilien., in qua postulatum fuit, an Sacerdos teneretur ad applicationem Missae, attentis verbis Testatoris; *et in ea orare pro anima ipsius Testatoris*: nulla facta mentione applicationis, cum aliud sit orare, ac Missam applicare: et responsum fuit a S. Congregatione; Sacerdotem teneri ad Missae applicationem. Observanda tamen esset differentia huiusmodi verborum *orare* et *applicare*, quibus usus esset Testator, vel Beneficii fundator, cum plura Beneficia aut Capellanias instituisset, in quarum una Capellano orandi tantum pro se, in altera vero Sacrificium applicandi onus iniunxisset; nam ex hac diversa loquendi forma mens Testatoris pateret, in primo casu voluisse sui tantum fieri commemorationem in Missa, et ita in quadam Caussa Ferrarien. 11. Junii 1729. ab eadem Sacra Congregatione Concilii decisum fuit.

Has omnes declarationes, quas vim legis obtinere, ac in utroque foro obligare, nemini dubitare licet, ut late probat Fagnanus in libro I. Decret. De Constit. n. 8. et sequen. Cap. *Quoniam*, et fusius videre est in Adnotationibus, quas exaravit Eminentissimus, et Reverendissimus D. D. Prosper Cardinalis Lambertini, nunc Benedictus XIV. P. O. M. super S. Missae Sacrificio Tom. II. P. 4. Sect. 2. n. 19. 21. 22. 63. Dat. Kalendis Decembris anni 1751.

Illustrissim. et Reverendissim. D. D. Petrus Franciscus Morali Archiepiscopus Florentinus illis malis obviam ire maximopere exoptans, quae praesertim per agros possunt facillime irrepere, si Christianus Populus nocturnis omnino horis ad Ecclesiam convocetur, praecipit, et mandat:

I. Ut deinceps a decima quinta die Septembris usque ad totum mensem Martium non ante Auroram, et a prima die Aprilis usque ad decimam quartam Septembris non ante horam quartam post mediam noctem Sacrum fiat, aliaeve peragantur Functiones, nec proinde Campanae pulsentur nisi una hora ante vel Missae, vel Functionum inchoationem; quando haec locum habeat primo mane

horis superius notatis, nisi prius expressa ipsius Archiepiscopi licentia accesserit; nihil tamen innovatum hoc Decreto censeatur quoad officia matutina, quae juxta perantiquum, et numquam satis laudandum morem in Ecclesiis maioribus solent per noctem recitari.

II. Praecipit insuper, ut diebus Festis Missae, praesertim vero illae in quibus Concio Evangelica solet haberi, horis certis, et statutis quoad fieri potest, et juxta temporum varietatem celebrentur; et si quid immutari contigerit, opportune fideles praemoneantur.

III. Praecipit demum, ut Parochi diebus festis, praesertim vero Dominicis, et aliis per annum Solemnioribus a suis Paroeciis non abscedant, exceptis dumtaxat illis per annum diebus, quibus ex Synodalibus Constitutionibus rite possunt aliis interesse Paroeciis vel ad Sacrun faciendum vel ad alia Ecclesiastica munia obeunda.

IV. Idem Illustriss. et Reverendiss. D. Archiepiscopus Noster munere suo defuncturus abstinere non potest quin omnibus notum faciat, ac religiose observandum proponat Decretum a S. Rituum Congregatione latum Romae Idibus Maii hujusce anni, in quo mos omnino reprobatur conficiendi „ *Amictus, Albas, Tobaleas Altarium, nec non Corporalia, et Pallas ex tela quadam composita ex lino, et gossipio subtilissimo, vel etiam ex solo gossipio* „ Declaratum siquidem fuit, ut ejusmodi Sacra Indumenta, ac Suppellettilia conficiantur deinceps ex lino, aut cannabe, non autem ex alia quacumque materia, licet munditie, candore, ac tenacitate linum, et cannaben aemuletur, vel aequet; ita tamen ut quoad Amictus, Albas, Tobaleas, Mappulas, si quae ex gossipio habentur, adhiberi intera possint usque dum consumentur: quoad vero Corporalia, Pallas, ac Purificatoria, si quae extent ex gossipio, quamprimum destruantur, ac linea prorsus sint; ad quod faciendum D. D. Archiepiscopus Noster unum mensem a praesentis Decreti bublicatione adsignat, interdicto postea ac vetito aliorum usu, quae ex gossipio supererunt.

V. Notam praeterea facit Pontificiam Constitutionem „ Cum in-

Digitized by Google

numeri „ quae Idibus Decembris superioris anni saluberrimo fuit edita consilio ad coercendos nonnullos ex Protonotariis Apostolicis Titularibus, seu honorariis, qui ut ibi legitur, eo audaciae devenerunt, ut Protonotariis de numero Participantium, aliisve, qui in eorumdem Privilegiorum communionem sunt a Pontificibus advocati, sese assimilatos esse, iisdemque proinde potiri juribus comminiscantur.

In ipsa igitur Constitutione inter alia multa, quae tum de eorumdem Protonotariorum delectu habendo, cum de eorum Privilegiis stabili ratione praefiniendis sapientissime fuerunt sancita ac constituta, haec decernuntur. 1. Protonotarii Titulares, seu honorarii uti poterunt habitu Praelatitio, videlicet Veste Talari, et Palliolo, vulgo „ Mantelletta „ nigri dumtaxat coloris; in publicis vero supplicationibus, aliisque Ecclesiae Functionibus rocchettum subtus Palliolum adhibeant. 2. Si qui vero dignitate aut Canonicatu potiuntur, habitum gestent sui Ordinis, non vero Praelatitium in Choro, eoque consideant in loco, quo ex Beneficio eos deceat. 3. Usus Collaris, et Caligarum coloris violacei omnino interdicitur, item et vitta, seu Cordula in Pileo coloris violacei, seu etiam, quo *nonnullorum audacia erupit*, rosacei, aut rubei, quae nigri tantum coloris esse poterunt. 4. Sacrum demum operantes a simplicibus Sacerdotibus minime differunt: Idcirco Sacras Vestes induant in Sacrario, uno tantum Ministro utantur, ipsique Calicem deferant, detegant, cooperiant, item Libri Missarum folia evolvant: Vetantur praeterea Palmatoriam, Canonem, Annulum, Pileolum adhibere. Nihil autem hoc Decreto immutatum fuit de amplioribus Privilegiis, quibus Collegia quaedam, et Capitula ex Apostolico Indulto etiam ad instar Protonotariorum participantium alicubi gaudent. Hujus igitur Constitutionis Decreta ab omnibus, qui ejusmodi Protonotariatu Titulari sunt insigniti, religiosissime observanda proponit, praecipit, et mandat Illustriss. et Reverendiss. D. D. Archiepiscopus Noster, ne poenis, quae in transgressores infliguntur, obnoxii evadant.

Dat. Florentiae Idibus Decembris an. 1819.

Illustriss. et Reverendiss. D. D. Petrus Franciscus Morali Archiepiscopus Noster maximo animi sui dolore exploratum habuit, consuetudinem jampridem invalere, ut praeter Piorum Fundatorum voluntatem Missae non solum in Ecclesiis propriis non celebrentur, nec super Altare ad id assignatum, verum etiam (quod gravius ferendum est, nec sine Romani Pontificis auctoritate faciendum) extra ipsam Dioecesim celebrandae amandentur. Quem quidem morem reprobandum profecto, quippe qui et virorum optime de Ecclesia meritorum menti adversetur omnino, et a Sanctissimis Conciliorum Legibus fuerit saepe saepius damnatus, tollere pro viribus exoptans, haec religiose servanda proponit, decernit, et mandat „ 1. Ut hujusmodi Missae, et in propriis Ecclesiis, et super Altare; si forte sit assignatum, ex Fundatorum voluntate celebrentur deinceps, nisi licentia ab eodem Archiepiscopo fuerit in scriptis concessa „ 2. Ut si propter eleemosynarum exiguitatem id fieri nequeat, Parochi, Sacristae, Ecclesiarum tam Saecularium, quam Regularium Praefecti, Beneficiorum Rectores, aliique omnes, ad quos haec onera incumbunt, Archiepiscopum ipsum adeant, qui ex facultatibus sibi a Sancta Sede tributis, praedictas Missas redigere, et stipendia augere, re mature perspecta, non renuet „ 3. Ut demum, si tanta in quibusdam Ecclesiis fuerit harum Missarum copia, ut per Sacerdotes eisdem addictos satisfieri minime possit, Eleemosynae Missarum, quae supersunt, vel superfuturae per annum praevidentur, ad Secretarium Congregationis a Piis Legatis nuncupatae a supra memoratis deferantur, qui syngrapham de receptis stipendiis ipsis tradet in Sacrarii Codices vulgo „ *Vacchette d' obblighi* „ dein referendam. Cumque res, de qua agitur, magni momenti sit habenda, idem Archiepiscopus Noster se gravissimas de violatoribus poenas sumpturum minatur, indicta quoque, si opus fuerit, a Divinis suspensione. Dat. Kalendis Decembris anni 1821.

Illustriss. et Reverendiss. D. D. Ferdinandus Minucci Archiepiscopus noster mandat servari Decreta omnia, ut alias in Kalendario, et praesertim Decreta annorum 1822. et 1824. quibus praeci-

pitur ut Missae, ad quaelibet Beneficia spectantes, celebrentur iuxta Fundatorum mentes, quod etiam a Canonicis Sanctionibus praescribitur. Quoad igitur Decretum anni 1824., decernit, ut Sacristae, Beneficiorumque Rectores, a Mense Januario usque ad Mensem Junium, si tamen sint ruralia Beneficia, de Missis quolibet anno celebratis rationem reddant Deputatis Congregationis a piis Legatis nuncupatae, quae Feria secunda, quinta, et sexta cujuslibet Hebdomadae in Curia nostra Archiepiscopali habetur. Pro Beneficiis vero in Ecclesiis Civitatis existentibus eorumdem Rectores, a Mense Julio usque ad Mensem Decembris hoc onus persolvant. Ne vero tanti momenti res negligatur, quod maxime foret dolendum, poenas in transgressores infligendas sibi reservat.

Datum pridie Idus Novembris 1830.

Ad Cap. VIII. Titul. III. n. 7. de legitima taxa Seminario persolvenda ab omnibus, qui hac Dioecesi Ecclesiastica obtinent Beneficia:

Giuseppe-Maria Martelli per la Grazia di Dio, e della Santa Sede Apostolica Arcivescovo di Firenze etc. È pur troppo chiaro, ed evidente quanto sia stata accetta al Signore Iddio l'erezione del nostro Seminario Fiorentino, perchè col favore della sua Divina Provvidenza è riuscito di condurlo al segno, che ciascuno può agevolmente considerare, non tanto nella struttura materiale del medesimo, quanto nel formale dello stesso, che è la buona educazione dei Cherici, che vi soggiornano, mentre venghiamo incessantemente richiesti di luoghi per nuovi Alunni da allevarsi sotto tal disciplina, dal che dedurre si conviene, che l'Altissimo va continuando la sua Benedizione sopra questa impresa comandata espressamente a tutti i Vescovi dal Sacro Concilio di Trento, e convalidata appresso coll'Autorità di tanti Sommi Pontefici, che con Apostolico Zelo l'hanno sempre ai medesimi inculcata.

Perlochè essendo adesso peso della Nostra Pastorale Vigilanza il custodirlo al pari della papilla degli occhi nostri, e procurarne il mantenimento, ed il vantaggio, ci troviamo costretti a dare l'opportuno riparo ad una parte di perdita di quelli assegnamenti, sui

Digitized by Google

quali il Seminario è fondato, acciò la connivenza nostra non ridondi, come seguirebbe, in pregiudizio notabile del medesimo.

Quindi è che ben consideratosi da noi, e da Sigg. Deputati dello stesso Seminario l'Editto della gl. ricord. di Monsignor de'Conti della Gherardesca Nostro degnissimo Antecessore, a cui ascriver deesi tutto il pregio di questa eroica Idea, emanato sotto il dì 3 Settembre 1713. per la Tassa da pagarsi dagli Ecclesiastici Benefiziati al Seminario, si è riconosciuto, che quantunque quella fosse tenuissima, e non eccedente lire tre per ogni cento di scudi, non ostante al Camarlingo del Seminario non è riuscito di riscuotere finquì che poca somma, onde molti sono i debitori.

Che però avanti di procedere, perchè sien questi astretti al pagamento con le pene, come si ordina in detto editto, pubblichiamo il presente, col quale si notifica a tutti quelli, che sono indietro con simili pagamenti, che debbano aver saldato il loro Conto per tutto il Mese d'Agosto prossimo avvenire, e soddisfacendo puntualmente a questo loro dovore anderanno immuni dalle pene incorse già per questa loro incuria.

All'incontro poi non avendo essi pagato dentro il prefisso termine, si procederà dal Camarlingo suddetto contro di loro, e si troveranno astretti al pagamento colle pene di tutto il tempo trascorso, come onninamente vogliamo, che resti eseguito.

Siccome ordiniamo al nominato Camarlingo del Seminario, che per l'avvenire costringa a pagare con dette pene tutti quelli, che saranno trascurati nel pagar la lor Tassa dentro i termini espressi nel citato Editto.

Abbiamo parimente riconosciuto, che o per errore, o per altro non si trovano impostati tutti quelli che di presente godono Benefizio Ecclesiastico, che però questi si avvertono di farsi impostare nel termine suddetto, e di pagare ancor eglino quanto devono: non intendendo però di obbligarli al pagamento delle pene per il tempo passato; e se dentro il termine assegnato non si saranno dati in nota, subito che ce ne giunga qualsivoglia estrajudiciale notizia, saranno astretti a pagare non solo per tutto il tempo, quanto ancora con tutte le pene. E per dare in futuro sopra di ciò provvedimento:

Ordiniamo a' Ministri della nostra Cancelleria Arcivescovile, ed agli Attuarj tutti del nostro Tribunale di non consegnare in avve-

nire le Bolle delle nuove Provviste de'Benefizi da spedirsi con autorità Ordinaria, ovvero Apostolica, se prima non costerà loro, che i nuovi Benefiziati si sieno dati in nota al Camarlingo del Seminario per la nuova ottenuta Investitura di detti Benefizi, e riportino dallo stesso l'Attestato da inserirsi negli Atti della spedizione d'aver saldato del proprio il debito, che potesse avervi lasciato il Benefiziato Antecessore con riceverne dal predetto Camarlingo la cessione, ed il regresso contro chi di ragione, affinchè il detto Seminario non resti defraudato del sussidio dovutogli, come per molti è succeduto finora; e di tal ordine comandiamo un esatta osservanza sotto la pena del Nostro Arbitrio.

E perchè frà i Benefiziati non manca chi sotto varii pretesti, e privilegi presuma di essere esente da questa Tassa, notifichiamo, che chiunque è insignito di Benefizio Ecclesiastico di qualunque condizione, e dignità egli si sia, etiam Cardinalizia, vi è sottoposto, come chiaramente dimostra il Sacro Concilio di Trento; e de facto il nostro Seminario si pregia di riscuotere da più Eminentissimi Signori Cardinali Benefiziati in questa Diocesi, che esattissimamente e con nostra somma edificazione esemplarmente la Conciliare disposizione adempiono.

Non vi sia pertanto fra i nostri Ecclesiastici chi sfugga di contribuire ad un' opera di tanta Gloria dell'Altissimo, e di tanto utile nella Santa Chiesa, per il profitto, che risentono i Fedeli dai Sacerdoti bene educati, e si prevalga della Nostra Paterna Esortazione, alla quale, quando al lume della Fede sia ben ponderata l'Autorità del Sacro Concilio, e de' Sommi Pontefici, che tanto comandano, ravviserà ciascuno, che è tenuto in coscienza di ubbidire: altrimenti ci troveremo di mala voglia obbligati di procedere coll' espresso rigore. Dat. nel Nostro Palazzo Arcivescovile di Firenze questo dì 16. Giugno 1730.

Ad Cap. IX. Tit. III. De Officio Parochi:

Illustriss. et Reverend. D. D. Petrus Franciscus Morali Archiepiscopus Florentinus praecipit et mandat, ut Parochi maiori, qua fieri potest, celeritate certiorem reddant Curiam Archiepiscopalem de morte Sacerdotum et Clericorum, qui in sua obierint Paroecia. ***Ex Decreto dat. Kalendis Decembris Anni*** 1817.

Ad Cap. XIV. Tit. III. num. 7. De funeribus.

Concessio Sacrae Rituum Congregationis dicendi die obitus Missam Solemnem *de Requiem* diebus festivis etc. etiam cadavere absente, attamen insepulto. Ex Calendario Florentino anni 1782.

FLORENTINA

Quum Serenissimus Etruriae Magnus Dux, et Austriae Archidux pro eximia animi sui erga Sedem Apostolicam religione, et observantia tum in rebus omnibus, tum maxime in Sacris Ritibus Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. VI. humilissime supplicaverit, ut in cunctis Dominiis celebrari posset una solemnis Missa *de Requiem* diebus etiam festivis de praecepto, et duplicibus secundae classis una cum absolutionibus, et precibus, quae in die obitus fieri et recitari solent, etiamsi cadaver praesens in Ecclesia non sit; eadem Sanctitas sua ad relationem Eminentissimi Archinto S. R. C. Praefecti, audito prius consilio Congregationis particularis ab Ea deputatae, petitam facultatem in casu, de quo agitur, benigne concessit, etsi cadaver tumulatum non fuerit, sed ea qua decet religione servetur in loco decenti, et Ecclesiae proximiori, apposito tamen in Ecclesia lodicis, seu turgi Panni signo ab eo diverso, quod in Anniversariis adhibetur, ut Fideles intelligant Missam hisce diebus offerri in expiationem animae illius Defuncti, cuius corpus traditum terrae adhuc non fuit, et Ecclesiae precibus etiam proprias adiungant; quibuscumque in contrarium minime obstantibus. Hac die 25. Aprilis 1781.

I. Card. Archinto Praefectus
C. Airoldi S. R. C. Secret.

Digitized by Google

Quoad Decreta, ut alias in Calendariis, postremum hoc notandum duximus:

Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Dominus Ferdinandus Minucci Archiepiscopus Florentinus mandat servari Decreta, ut alias in Calendariis; sibi reservando poenas transgressoribus infligendas. Non obstantibus etc. Datum Florentiae Kalendis Decembris anni 1828.

Digitized by Google

TABULA HORARIA

IUXTA HOROLOGIUM ASTRONOMICUM.

Media nox semper incidit hora duodecima nocturna transacta, et inde obligatio incipit Jeiunii, sanctificationis Festorum etc: Meridies vero hora duodecima diurna. Licet Missam celebrare surgente Aurora, et privatam Matutini recitationem pro die sequenti quarta diei parte, sive dimidio spatio a meridie ad solis occasum; quod pro temporum varietate infra videre est.

Mensis	die	Aurora sive Salut. Ang. matutina. hora	minutis	Recitatio privata Matutini sequ. diei. hora	minutis	Crepusculum sive Salut. Ang. vespertina. hora	minutis
Januarii	1.	5.	45.	2.	15.	5.	—.
	11.	—.	—.	2.	30.	—.	—.
	20.	—.	—.	—.	—.	5.	15.
	27.	5.	30.	—.	—.	—.	—.
Februarii	2.	—.	—.	—.	—.	5.	30.
	8.	5.	15.	2.	45.	—.	—.
	13.	—.	—.	—.	—.	5.	45.
	18.	5.	—.	—.	—.	—.	—.
	23.	—.	—.	—.	—.	6.	—.
	28.	4.	45.	3.	—.	—.	—.
Martii	5.	—.	—.	—.	—.	6.	15.
	10.	4.	30.	—.	—.	—.	—.
	15.	—.	—.	—.	—.	6.	30.
	20.	4.	15.	3.	15.	—.	—.
	25.	—.	—.	—.	—.	6.	45.
	30.	4.	—.	—.	—.	—.	—.
Aprilis	4.	—.	—.	—.	—.	7.	—.
	9.	3.	45.	3.	30.	—.	—.
	14.	—.	—.	—.	—.	7.	15.
	20.	3.	30.	—.	—.	—.	—.
	25.	—.	—.	—.	—.	7.	30.
	30.	3.	15.	3.	45.	—.	—.
Maii	6.	—.	—.	—.	—.	7.	45.
	13.	3.	—.	—.	—.	—.	—.
	21.	—.	—.	—.	—.	8.	—.
	30.	2.	45.	4.	—.	—.	—.

Mensis	die	Aurora sive Salut. Ang. matutina hora	minutis	Recitatio privata Matutini sequ. diei hora	minutis	Crepusculum sive Salut. Ang. vespertina hora	minutis
Junii	14.	2.	30.	—.	—.	—.	—.
Julii	13.	2.	45.	3.	45.	—.	—.
	22.	—.	—.	—.	—.	7.	45.
	30.	3.	—.	—.	—.	—.	—.
Augusti	5.	—.	—.	—.	—.	7.	30.
	12.	3.	15	3.	30.	—.	—.
	18.	—.	—	—.	—.	7.	15.
	23.	3.	30.	—.	—.	—.	—.
	28.	—.	—.	—.	—.	7.	—.
Septembris	3.	3.	45.	3.	15.	—.	—.
	7.	—.	—.	—.	—.	6.	45.
	13.	4.	—.	—.	—.	—.	—.
	18.	—.	—.	—.	—.	6.	30.
	23.	4.	15.	3.	—.	—.	—.
	28.	—.	—.	—.	—.	6.	15.
Octobris	3.	4.	30.	—.	—.	—.	—.
	8.	—.	—.	—.	—.	6.	—.
	13.	4.	45.	2.	45.	—.	—.
	18.	—.	—.	—.	—.	5.	45.
	23.	5.	—.	—.	—.	—.	—.
	28.	—.	—.	—.	—.	5.	30.
Novembris	2.	5.	15.	2.	30.	—.	—.
	8.	—	—.	—.	—.	5.	15.
	15.	5.	30.	—.	—.	—.	—.
	22.	—.	—.	—.	—.	5.	—.
Decembris	1.	5.	45.	2.	15.	—.	—.

„ Ita ex Tabella Romae iam edita typis Reverendae Camerae Apostolicae, ad horas Horologii transmontani accommodata, qui mos Florentiam inductus est Lege ab Augustissimo Imperatore Francisco, Magno Etruriae Duce, lata die XII. Kalendas Decembris anni 1749. ut in Calendario Ecclesiastico Florentino anni 1750. „

INDEX
TITULORUM ET CAPITUM
SYNODALIUM CONSTITUTIONUM,

cui accedunt additiones per capita, variata typorum forma recentibus.

TITULUS I.

Digitized by Google

TITULUS II.

De Sacramentis cum in genere tum in specie.

TITULUS III.

De Sacrosanctis Ecclesiis.

TITULUS IV.

De diversis Ecclesiasticis Officiis.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX
RERUM
ALPHABETICO ORDINE DISTRIBUTUS

Prior numerus paginam; Secundus et alii post primum, ubi plures apponuntur, Paragraphum, seu Paragraphos indicant.

A

B

C

Digitized by Google

Digitized by Google

D

E

Digitized by Google

F

H

I

L

M

N

O

P

Q

R

S.

Digitized by Google

T

V

LAUS DEO.

Digitized by Google

				Errata	Corrige
pag.	VI.	vers.	4.	obtuliste	obtulisse
„	26.	„	1.	sundationis	fundationis
„	27.	„	ult.	deserant	deferant
„	31.	„	13.	considimus	confidimus
„	38.	„	12.	quee	quae
„	45.	„	15.	savere	favere
„	70.	„	26.	expedictiorem	expeditiorem
„	76.	„	ult.	sictitia	fictitia
„	77.	„	1.	sore	fore
„	ibi	„	25.	deseratur	deferatur
„	81.	„	3.	feominis	foeminis
„	94.	„	12.	Archivi	Archivii
„	99.	„	23.	in omnibus omni	in omni
„	101.	„	6.	octos	octo
„	ibi	„	22.	pulsant	pulsent
„	112.	„	2.	habendusque	habendasque
„	132.	„	6.	acceptaionis	acceptationis
„	135.	„	2.	carum	earum
„	167.	„	24.	baptizaveritre	baptizaveritve
„	176.	„	ult.	Praedessoribus	Praedecessoribus
„	192.	„	15.	insructos	instructos
„	232.	„	ult.	itera-	iteratis
„	243.	„	30.	bublicatione	publicatione

Digitized by Google

Digitized by Google

005659215
Digitized by Google